

A suspicatur. Differens enim de legibus: Sed omnium, inquit, quæ in hominū doctōrum disputatione uersantur, nihil est profectō præstabilius, quæ planè intelligi nos ad iustitiā esse natos. Id ergo solum deo exhibere atq; offerre debemus, ad quod capiendū nos ipse generauit. Hoc autem duplex sacrificij genus quàm sit uerissimū, Trismegistus Hermes idoneus testis est: qui nobiscum, id est cum prophetis, quos sequimur, tam uerbis, quæ re congruit, sicq; de iustitia locutus est: Hoc uerbum o fili adora & cole. Cultus autē dei unus est, malum nō esse. Item in illo sermone perfecto, quū exaudisset Asclepiū quærentē à suo filio, utrum placeret patri eius offerri thus, & alios odores ad sacrificiū dei, exclamauit: Bene bene o mi nate, o Asclepi. Est enim maxima impietas tale quid de illo uno ac singulari bono in animū inducere. Hæc & his similia huic nō conueniūt. Omnium enim quæcūq; sunt, plenus est, & omnium minime indigens. Nos uero gratias agentes, adoremus. Huius enim sacrificiū sola benedictio. Et recte: Verbo enim sacrificari oportet deo: siquidē deus uerbum est, ut ipse cōfessus est. Summus igitur colendi ritus est, ex ore iusti hominis ad deum directā laudatio: quæ tamen ipsa, ut deo sit accepta, & humilitate, & timore, & deuotione maxima opus est: ne quis forte integritatis & innocentiae fiduciam gerens, tumoris & arrogatiæ crimen incurrat, eoq; facto gratiā uirtutis amittat. Sed ut sit deo charus, omniq; macula careat, misericordiā dei semper imploret, nihilq; aliud precetur, nisi peccatis suis ueniā, licet nulla sint: Si quid aliud desiderauerit, nō est opus dicto scienti quid uelimus: si quid ei boni euenerit, gratias agat: si quid mali, satisfaciatur: & illud sibi ob peccata sua fateatur euenisse: nihilominus in malis gratias agat, & in bonis satisfaciatur, ut idem sit semper, & stabilis, & immutabilis, & inconcussus. Nec tantū hoc in templo putet sibi esse faciendū, sed & domi, & in ipso etiam cubili suo. Secum deniq; habeat deum semper in corde suo consecratū: quoniā ipse est dei templū. Quod si deo patri ac domino hac assiduitate, hoc obsequio, hac deuotione seruerit, consummata & perfecta iustitia est: quam qui tenuerit, hic (ut ante testati sumus) deo paruit, hic religioni atq; suo officio satisfecit.

Summus colendi
dei ritus.

LIBRI SEXTI FINIS.

LACTANTII FIRMIANI

DIVINARVM INSTITVTIONVM ADVERSVS GEN-
TEIS LIBER SEPTIMVS ET VLTIMVS, DE DI-
VINO PRAEMIO ET VLTIMO FUTURO
IUDICIO, AD CONSTANT. IMP.

Quid sit dictum in precedentibus libris: quid restat dicendum in ultimo: qui sint
creditori ueritati, & qui non. Cap. I



BENE habet: iacta sunt fundamenta, ut ait eximius orator. Verum nos non tantū fundamenta iecimus, quæ firma & idonea essent operi perferendo: sed magnis robustisq; molibus ædificium totū penè usque ad summā perduximus. Restat id quod est multo facilius, uel tegere, uel ornare: sine quo tamē priora opera inutilia sunt, & ingrata. Nam quid prodest, aut falsis religionibus liberari, aut intelligere uerā? quid aut uanitatē falsæ sapientiæ peruidere, aut quæ sit uera cognoscere? quid inquam prodest cœlestem illam iustitiā defendere? quid cum magnis difficultatibus cultum dei tenere, quæ est summa uirtus, nisi quū diuinū præmiū beatitudinis perpetuæ subsequatur?

C De qua nobis est in hoc libro differendum, ne priora omnia irrita & infructuosa uideantur, si hoc, cuius causa illa suscepta sunt, in incertum relinquamus: ne quis forte arbitretur tantos labores incassum suscipi, dum eorum coelesti mercede diffidit: quam deus statuit ei, qui haec suauia terrae bona, pro sola nudaque uirtute contempserit. Satis & huic parti faciamus, tum testimonijs diuinarum literarum, tum etiam probabilibus argumentis, ut aequae clarum sit, & futura praesentibus, & diuina terrenis, & perpetua breuibus esse anteponenda: quoniam temporalia sunt praemia uitiorum, sempiterna uirtutum. Exponam igitur rationem mundi, ut facile possit intelligi, quando, & quare sit effectus a deo: quod Pato, qui de mundi fabricatione disseruit, nec scire potuit, nec explicare: quippe qui coeleste mysterium, quod non nisi prophetis, ac deo docete discitur, ignorabat: ideoque in perpetuum dixit esse fabricatum: quod longe secus est: quoniam quicquid est solido ac graui corpore, ut initium coepit aliquando, ita finem capiat necesse est. Nam Aristoteles quum non uideret, quemadmodum posset tanta rerum magnitudo interire, & hanc praescriptionem uellet effugere: semper ait fuisse mundum, ac semper futurum. Prorsus nihil uidit, quia quicquid est, aliquando habuerit principium necesse est: nec omnino quicquam potest esse, nisi coeperit. Nam quum terram, & aquam, & ignem disperire, consumi, extinguique uideamus, quae sunt utique mundi partes, intelligitur totum esse mortale, cuius membra sunt mortalia. Ita sit, ut natum sit, quicquid potest interire: sed & omne quod sub uisum oculorum uenit, & corporale (ut ait Plato) & solubile sit necesse est. Unus igitur Epicurus, autore Democrito, ueridicus in hac re fuit: qui ait, & ortum aliquando, & aliquando esse periturum. Nec tamen rationem ullam reddere potuit, scilicet aut quibus de causis hoc tantum opus, aut quo tempore resoluatur. Quod quoniam nobis deus reuelauit, nec coniecturis id assequimur, sed traditione coelesti: docebimus sedulo, ut tandem studiosis ueritas appareat, nec uidisse, nec comprehendisse philosophos ueritatem: sed ita leuiter odoratos, ut tamen unde eos ille odor sapientiae tam suauis, tam iucundus afflarit, nullo modo senserint. Interim necessarium puto admonere lecturos, quod haec nostra quae tradimus, praeuicia uitiosaque mentes aut omnino non intelligent (hebetata enim acies eorum terrenis cupiditatibus, quae sensus omnes grauata, imbecillesque reddunt) aut etiam si intelligent, dissimulabunt tamen, & esse haec uera nolent: quia trahuntur a uitijs, & scientes malis suis fauent, quorum suauitate capiunt: & uirtutis uiam deserunt, cuius acerbitate offendunt. Nam qui auaritia & opum inexplebili quadam siti flagrant, quia non possunt uenditis, aut elargitis, quae amant, tenui cultu uitam degere, sine dubio malunt id esse fictum, quo desiderijs suis renunciare coguntur. Item qui libidinum stimulis incitati (ut ait poeta) in furias ignemque ruunt, utique incredibilia nos afferre dicunt: quia uulnerant aures eorum praecipua continentiae: quae illos a uoluptatibus suis prohibet, quibus animam suam cum corpore adiudicauerunt. Qui uero ambitione inflati, aut amore potentiae inflammati, omne studium suum ad honores acquirendos contulerunt: ne si solem quidem ipsum gestemus in manibus, si dem commodabunt ei doctrinae, quae illos iubet, omni potentia & honore contempto, humiles uiuere: atque ita humiles, ut & accipere iniuriam possint, & referre nolint, si acceperint. Ii sunt homines, qui contra ueritatem clausis oculis quoquo modo latrant. Qui autem sani sunt, uel erunt, id est non ita uitijs immersi, ut sanabiles non sint, & credent his, & libenter accedent, & quaecumque dicimus, aperta, & plana, & simplicia, & quod maxime opus est, uera & inexpugnabilia illis uidebuntur. Nemo uirtuti fauet, nisi qui sequi potest: sequi autem non facile est omnibus. Ii possunt, quos paupertas & rerum indigentia exercuit, & capaces uirtutis effecit. Nam si uirtus est tolerantia malorum, non capiunt ergo uirtutem, qui semper in bonis fuerunt: quia mala

necque

*Epicuri de mundo
do sententia.*

*Veritas a quibus
non possit
intelligi.*

A necque experti sunt, necque ferre possunt assuetudine ac desiderio bonorum, quae sola non uerunt. Eo fit, ut pauperes & humiles deo credant facilius, qui sunt expediti, quam diuites, qui sunt impedimentis pluribus implicati: imò catenati & cōpediti seruiunt ad nutū dominæ cupiditati, quae illos inextricabilibus uinculis irretiuit: nec possunt in cœlum aspicere, quoniã mens eorū in terram prona humiq; defixa est. Virtutis autem uia non capit magna onera portantes: angustus admodū trames est, per quē iustitia hominē deducit in cœlum: hunc tenere non potest, nisi qui fuerit expeditus & nudus. Nam isti locupletes multis & ingentibus sarcinis onerati, per uiam mortis incedūt, quae latissima est: quoniã late perditio dominatur. His acerbata sunt, his uenena, quae deus ad iustitiã præcepit, quaeque nos dei magisterio de uirtute ac ueritate differimus: Quibus si repugnare audebunt, necesse est hostes se esse uirtutis iustitiæque fateantur. Aggrediar nunc quod superest, ut finis operi possit imponi. Id autem superest, ut de iudicio dei differamus: quod tunc constituetur, quū dominus noster redierit in terram, ut unicuique pro merito aut præmium perfoluat, aut poenā. Itaque ut in quarto libro de primo aduentu eius diximus, sic in hoc, secundum referamus aduentum, quem Iudaei quoque confitentur & sperant, sed frustrat quoniã necesse est ad eos consolandos reuertatur, ad quos cōuocandos prius uenerat: nam qui uiolauerunt impiè humilem, sentient in potestate uictorem. Eaque omnia quae legunt, & non intelligūt, deo cōpensante patientur: quippe qui peccatis omnibus inquinati, & in super sancto cruore perfusi, ab illo ipso, cui nefandas manus intulerunt, sint ad æterna supplicia destinati. Sed erit nobis contra Iudæos separata materia, in qua illos erroris & sceleris conuincemus.

Virtutis uia.

Quod aureū seculū, id est felicissimus status futurus est post iudiciū: Et quare ratio mūdi non potest ab homine cōprehendi: Et quod ueram sapientiã non assequitur quis beneficio naturæ, sed gratiæ. Cap. II

B **N**unc ignaros ueritatis instruamus. Dispositione summī dei sic ordinatum, ut iniustū hoc seculū, decurso temporū spacio terminū sumat: extinctaque protinus omni malitia, & piorū animis ad beatā uitam reuocatis, quietū, tranquillū, pacificū, aureū denique (ut poëtæ uocant) seculū, deo ipso regnante floreat. In primis causa errorū omnium philosophis hæc fuit, quod rationē mūdi, quae totam sapientiã cōtinet, non cōprehenderunt. Ea uero sensu proprio & interna intelligentiã non potest cōprehendi: quod illi sine doctore per se ipsos facere uoluerūt. Itaque in uarias, sibi que saepe contrarias sententias inciderunt, ex quibus exitū non haberēt, & in eodē luto (sicut Comicus ait) hæsitauerūt, scilicet assumptionibus eorū non respondente ratione: quū assumpsissent quidem uera, sed quae affirmari probarique non possent sine scientia ueritatis, rerumque cœlestium: quae (ut saepe iam dixi) non potest esse in homine, nisi deo docente, percepta. Nam si potest homo intelligere diuina, potest & facere: Nam intelligere est quasi euestigio subsequi. Non potest autē facere, quae deus: quia mortali corpore indutus est. Ergo nec intelligere quidem potest, quae fecit deus. Quod autem fieri non possit, ex immensitate rerum atque operū diuinorū facile est unicuique metiri. Nam si mundū cum omnibus quae sunt in eo, cōtemplari uelis, intelliges profectò, quantum dei opus humanis operibus antestet. Ita quantum inter opera diuina & humana interest, tantū distare inter dei hominisque sapientiã necesse est. Nam quia deus incorruptus atque immortalis, & ideo perfectus, quia sempiternus est, sapientiã quoque eius perinde ut ipse perfecta est. Nec obstare illi quicquā potest: quia nulli rei deus ipse subiectus est. Homo autem quia subiectus est passioni, subiecta est & sapientia eius errori: & sicut hominis uitam multae res impediunt, quo minus possit esse perpetua, ita sapientiã quoque eius multis rebus impediiri necesse est, quo mi-

Hominis non potest esse perfecta sapientia.

C nus in perspicienda penitus ueritate perfecta sit. Ergo nulla est humana sapientia, si per se ad notionem ueri scientiamque nitatur: quoniam mens hominis cum fragili corpore illigata, & in tenebroso domicilio inclusa, neque liberius euagari, neque clarius perspicere ueritatem potest, cuius notio diuinæ conditionis est. Deo enim soli opera sua nota sunt: homo autem non cogitando aut disputando assequi eam potest, sed discendo & audiendo ab eo, qui scire solus potest, & docere. Ideo M. Tullius sententiam Socratis de Platone transferens, dicentis, uenisse tempus, ut ipse migraret e uita: illos autem, apud quos causam suam perorabat, agere uitam. Vtrum melius sit, inquit, dii immortales sciunt, hominem autem arbitror scire neminem. Quare necesse est, omnes philosophiæ sectas alienas esse à ueritate: quia homines erant, qui eas constituerunt: nec ullum fundamentum aut firmitatem possunt habere, quæ nullis diuinarum uocum fulciuntur oraculis.

Quantum errauerint Stoici de ratione mundi, & autore omnium deo & homine, per quem factus est mundus: Et quàm manifeste contra Epicurum rationibus doceatur, mundum, & omnia quæ in eo sunt, dei prouidentia gubernari. Cap. III



T quoniã de philosophorū erroribus loquimur, Stoici naturã in duas diuidunt partes: unam, quæ efficiat: alteram, quæ se ad faciendū tractabilem præbeat. In illa prima esse uim sentiendi, in hac materiã: nec alterū sine altero esse posse. Quomodo idem esse potest, quod tractat, & quod tractatur? Si quis dicat idem esse figulū, quod lutum: aut lutū idem esse quod figulum: nonne aperte insanire uideat? At isti uno naturæ nomine duas res diuersissimas comprehenderunt, deum & mundum, artificem & opus: dicuntque alterū sine altero nihil posse, tanquam natura sit deus mundo permixtus: nam interdū sic confundunt, ut sit deus ipse mens mundi, & mundus sit corpus dei: quasi uero simul esse cœperint mundus, & deus, ac non ipse mundum fecerit: quod & ipsi fatentur aliàs, quum hominum causa prædicant esse fabricatum, & esse sine mundo, si uelit possit. Siquidem deus est diuina mens & æterna, à corpore soluta, & libera: cuius uim maiestatemque quoniam intelligere non poterant, miscuerunt eum mundo, id est operi suo. Vnde est illud Virgilianum:

Totamque infusa per artus

Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Vbi est ergo illud, quod iidem ipsi aiunt, & factū esse diuina prouidentia, & regit? Si enim fecit mundū, fuit ergo sine mundo. Si regit, non utique sicut mens corpus regit, sed tanquam dominus domū, nauimque gubernator, auriga currū: nec tamen mixti sunt istis rebus, quas regunt. Nam si hæc omnia, quæ uidemus, dei membra sunt, iam insensibilis ab his constituitur deus, quoniam membra sensu carent: & mortalis est, quoniã uidemus membra esse mortalia. Possum enumerare, quoties repentinis quassatae motibus uel hauerint terræ, uel descenderint in abruptū: quoties demersæ fluctibus & urbes & insulæ abierint in profundū: frugiferos campos paludes inundauerint, flumina & stagna siccauerint: montes etiam uel deciderint abrupti, uel planis fuerint adæquati: plurimas regiones, & multorum fundamenta montium latens & internus ignis absument. Et hoc parū est, si membris suis non parcit deus, nisi etiam homini liceat aliquid in dei corpus. Maria extruuntur, montes exciduntur, & ad eruendas opes interiora terræ uiscera effodiuntur. Quid quod ne arari quidem sine laceratione diuini corporis potest: ut iam scelerati & impij simus, qui dei membra uiolemus: Patitur ne ergo uexari corpus suū deus, & debilem se uel ipse facere, uel ab homine fieri sinit: nisi forte diuinus ille sensus, qui mundo, & omnibus mundi partibus permixtus est, primam terræ faciem reliquit, ac se in ima demersit.

*Terrarum uari
rij casus.*

A sit, ne quid doloris de assidua laceratione sentiret. Quod si hoc uanum & absurdum est, tam igitur ipsi egerunt, quae haec indigent sensu: qui non perspexerunt, diuinum quidem spiritum esse ubique diffusum, eoque omnia contineri. Nec tamen ita, ut deus ipse, qui est incorruptus, grauibus & corruptibilibus elementis misceatur. Illud ergo rectius, quod à Platone sumpserunt, à deo factum esse mundum, & eius prouidentia gubernari. Oportebat igitur & Platonem, & eos qui idem senserunt, docere atque explicare, quae causa, quae ratio fuerit tanti operis fabricandi, quare hoc, aut cuius gratia fecerit. At iidem Stoici, hominum (inquiunt) causa mundus effectus est. Audio. Sed Epicurus ignorat, ipsos homines quare, aut quis effecerit. Nam Lucretius, quum diceret mundum non esse à dijs constitutum, sic ait:

Dicere porro hominum causa uoluisse parare
Præclaram mundi naturam,

Deinde intulit:

Desipere est. Quid enim immortalibus atque beatissimis
Gratia nostra queat largiri emolumentum,
Ut nostra quicquam causa gerere aggrediantur?

B Et merito. Illi enim nullam rationem afferebant cur humanum genus uel creatum, uel institutum esset à deo. Nostrum hoc officium est, sacramentum mundi, & hominis exponere: cuius illi expertes sacrarium ueritatis nec attingere, nec uidere potuerunt. Ergo (ut paulò ante dicebam) quum assumpsissent id, quod erat uerum, id est mundum à deo, & hominum causa esse factum: tamen, quoniam eos in consequentibus ratio defecit, non potuerunt defendere id, quod assumpserant. Denique Plato, ne dei opus imbecillum & ruinosum faceret, in aeternum dixit esse mansurum. Si hominum causa factus est, & ita factus est, ut esset aeternus: cur ergo ipsi, quorum causa factus est, non sunt sempiterni? Si mortales, propter quos factus est, ergo & ipse mortalis atque solubilis. Neque enim plurius est ipse, quam ij, quorum gratia factus est. Quod si ei ratio quadraret, intelligeret periturum esse, quia factus est: nec posse in aeternum manere, nisi quod tangi non potest. Qui autem negat hominum causa factum, hic nullam rationem tenet. Si enim dicit ipsum fabricatorem sua causa tantum, hac opera esse molitum, cur ergo nos nati sumus? Cur mundo ipso fruimur? Quid sibi uult humani generis, ceterorumque animantium fictio? Cur aliena comoda intercipimus? Cur denique augemur, minuimur, interimus? Quid habet rationis ipsa generatio? quid perpetua successio? Nimirum uidere deus uoluit, & suis uarijs imaginibus tanquam sigilla cōfingere, quibus se oblectaret: & nihilominus tamen, si ita esset, curae haberet animantes, praecipueque hominem, cuius imperio cuncta subiecit. Qui autem dicunt semper fuisse mundum: omitto illud, quod esse ipse *Mundus an sit aeternus.* sine aliquo principio non potest, unde extricare se nequeunt: sed hoc dico, si semper mundus fuit, nullam potest habere rationem. Quomodo enim potuit in eo ratio moliri, quod nunquam sumpsit exordium? Nam prius quam fiat aliquid, aut struatur, opus est consilio, ut disponi possit quemadmodum fiat: nec incipi quicquam potest, sine prouisione rationis. Itaque omne opus ratio praecedit: non habet ergo rationem, quod factum non est. Atqui mundus habet rationem, qua & constat, & regitur. Ergo factus est, & si factus est, resoluetur. Reddant ergo isti rationem, si possunt, cur aut factus in principio sit, aut postea resoluatur. Quod quia docere non poterat Epicurus, siue Democritus, sua sponte natum esse dixit, seminibus inter se passim coeuntibus: quibus iterum resolutis, dissidiū atque interitum secuturum. Corripit ergo quod recte uiderat, & totam rationem penitus ignorantia rationis euertit, rededitque mundum, & omnia, quae in eo geruntur, ad similitudinem cuiusdam somni uanissimi: siquidem

*Qua ratione
mūdus cōstet*
C rebus humanis nulla ratio subsistat. Quum uero mūdum, omnesq; partes eius, ut uideamus, mirabilis ratio gubernet: quum cœli temperantia, & æqualis in ipsa uarietate cursus astrorū luminumq; cœlestium, temporū cōstans ac mira descriptio, terrarū uaria fœcunditas, plana camporū, munimēta & aggeres montiū, uiriditas ubertasq; sylvarum, fontium saluberrima eruptio, fluminū opportuna inundatio, maris opulenta & copiosa interfusio, uentorū diuersa & utilis aspiratio, cæteraq; omnia ratione summa cōstent: quis tam cæcus est, ut existimet sine causa esse facta, in quibus mira dispositio prouidētissimæ rationis elucet: Si ergo sine causa nec est, nec fit quicq; omnino: si & prouidētia summi dei ex dispositione rerū, & uirtus ex magnitudine, & potestas ex gubernatione manifesta est: hebetes ergo & insani, qui prouidentia non esse dixerūt. Nō improbarē, si deos idcirco nō esse dicerent, ut unum dicerent: Quū autē ideo, ut nullū: qui eos delirasse nō putat, ipse delirat.

Quod omnis res ad aliquē usum facta est, etiam illa que omnino uidentur esse mala: Et quare homo creatus sit corpore fragili & capax rationis. Cap. IIII



Ed de prouidentia satis in primo libro diximus: quia si est, ut apparet ex mirabilitate operum suorum, necesse est etiam hominem cæterasq; animantes eadem prouidentia creauerit. Videamus ergo, quæ ratio fuerit fingendi generis humani: quoniam constat, id quod Stoici dicunt, hominum causa mundum esse fabricatum: quanquam in hoc ipso nō mediocriter peccent, quod non hominis causa dicunt, sed hominū. Vnius enim singularis appellatio totum comprehendit humanum genus. Sed hoc ideo, quoniam ignorant unum hominem à deo esse formatū: putantq; homines in omnibus terris & agris, tanquam fungos esse generatos. At Hermes non ignorauit hominem & à deo, & ad dei similitudinem factum. Sed redeo ad propositū. Nihil est, ut opinor, quod sit propter seipsum factū: sed quicquid omnino fit, ad usum aliquem fieri necesse est. Quis est enim uel tam ineptus, uel tam ociosus, ut aggrediatur facere aliquid frustra, ex quo nullam utilitatem, nullum cōmodū speret? Qui domum ædificat, non idcirco ædificat, ut tantūmodo domus sit: sed ut in ea possit habitari. Qui nauem fabricat, non ideo assumit operam, ut tantum nauis appareat: sed ut in ea nauigetur. Item qui uas aliquod instruit, aut format, nō propterea id facit, ut tantum fecisse uideatur: sed ut uas illud effectū, capiat aliquid necessariū. Similiter cætera, quæcūq; fiunt, non utiq; in superuacuum, sed ad usus aliquos laborantur. Mūdus igitur à deo factus est, non utiq; propter ipsum mundū: neq; enim aut calore solis, aut lumine, aut aspiratione uentorū, aut humore imbrum, aut alimonia frugum, quum sensu careat, indiget. Sed ne illud quidem dici potest, quod deus propter seipsum fecerit mundum: quoniam potest esse sine mundo, sicut fuit antea: & ijs omnibus, quæ in eo sunt, quæq; generantur, deus ipse non utitur. Apparet ergo animantium causa mundū esse constructum: quoniam ijs rebus, quibus cōstat, animantes fruuntur: quæ ut uiuere, ut constare possint, omnia his necessaria tēporibus certis subministrantur. Rursus cæteras animantes hominis causa esse factas ex eo clarū est, quod homini seruiunt, & tutelæ eius, atq; usibus data sunt: quoniā siue terrenæ sunt, siue aquatiles, nō sentiunt mundi rationē, sicut homo. Respondendū est hoc loco philosophis, maximeq; Ciceroni, qui ait: Cur omnia nostri causa quū faceret, tantam uim natricū, uiperarumq; fecerit? cur tam multa pestifera terra mariq; disperferit? Ingēs ad disputandū locus est: sed ut in trāscursu, breuiter stringēdus est. Quoniā homo ex rebus diuersis ac repugnātibus cōfiguratus est, animo & corpore, id est cœlo atq; terra, tenui & comprehensibili, æterno ac temporali, sensibili atq; brutto, luce prædito atque tenebroso: ipsa ratio ac necessitas exigebat, & bona homini proponi,

A proponi, & mala: bona, quibus utatur: mala, quæ uitet & caueat. Idcirco enim data est illi sapientia, ut cognita bonorū malorūq; natura, in appetendis bonis, & malis declinādis uim suæ rationis exerceat. Nam cæteris animātibus, quibus sapiētia data nō est, munita indumentis naturalibus, & armata sunt. Homini autē pro his omnibus, quod erat præcipuū, rationē dedit solam. Itaq; nudum formauit & inermem, ut eum sapiētia & muniret & † regeret. Munimēta & ornamenta eius nō foris, sed intus: nō in corpore, sed in corde cōstituit. Nisi ergo essent mala, quæ caueret, quæ à bonis utilibusq; distingueret, nō esset ei sapientia necessaria. Sciat ergo M. Tullius, aut ideo homini datā esse rationē, ut & pisces caperet usus sui gratia, & natrices uiperasq; uitaret salutis suæ causa: Aut idcirco bona ei malaq; proposita, quia sapientiam acceperat, cuius uis omnis in discernēdis bonis malisq; uersatur. Magna igitur, & recta, & admirabilis est uis, & ratio, & potestas hominis, propter quem mundū ipsum, & uniuersa quæcunq; sunt, deus fecit: tantumq; illi honoris habuit, ut eum præficeret uniuersis: quoniam solus poterat dei opera mirari. Optime igitur Asclepiades noster de prouidentia summī dei differens, in eo libro, quē

regeret

Asclepiades ad
Lactantium de
prouidentia scri
psit.

Quare homo creatus sit, & quare ex cōtrarijs constet: & quod ei domicilium constitutū sit in medio: Et uita duplex proponitur, quarū alteram ministrat natura, alteram largitur gratia: Et quid significet, quod homo primum quadrupedibus conformatur, & postea erigitur, & tandē utitur exercitio rationis Cap. V

B



Eddamus nūc rationē, quare hominē ipsum fecerit deus. Quod si philosophi fecissent, aut defendissent illa, quæ uera inuenerant, aut in maximos errores non incidissent. Hæc est summa, hic cardo rerū est, quē qui non tenuerit, ueritas illi omnis elabatur. Hoc est deniq; quod efficit illis non quadrare rationem: quæ illis si effulisset, si sacramentū hominis omne cognouissent, nunquam disputationes eorū, & omnem philosophiam de transuerso Academia iugulasset. Sicut ergo mundū non propter se deus fecit, quia cōmodis eius nō indiget: sed propter hominem, qui eo utitur: ita ipsum hominem propter se. Quæ utilitas deo in homine, inquit Epicurus, ut eum propter se faceret? Scilicet ut esset qui opera eius intelligeret, qui prouidentia disponendi, rationē faciendi, uirtutem cōsummandi, & sensu admirari, & uoce proloqui posset. Quorū omnīū summa hæc est, ut deum colat. Is enim colit, qui hæc intelligit: is artificē rerum omnīū, is uerū patrē suum debita ueneratione prosequitur, qui uirtutē maiestatis eius de suorum operū inuentione, inceptione, perfectione metitur. Quod planius argumentum proferri potest, & mundum hominis, & hominē sui causa deum fecisse: quā quod ex omnibus animantibus solus ita formatus est, ut oculi eius ad cælum erecti, facies ad deū spectans, uultus cum suo parente cōmunis sit: ut uideatur hominē deus, quasi porrecta manu alleuatū ex humo, ad cōtemplationem sui excitasse? Quid ergo, inquit, deo cultus hominis cōfert beato, & nulla re indigentī: uel si tantū honoris homini habuit, ut ipsius causa mundū fabricaret, & instrueret eum sapientia, ut dominū uiuentiū faceret, eumq; diligeret tanquam filium, cur mortalē fragilemq; constituit? cur omnibus malis, quem diligebat, obiecit: quum oporteret & beatū esse hominem, tanquam coniunctū, & proximū deo,

c & perpetuum, sicut ipse est, ad quem colendum & cōtemplandum figuratus est: Quāquam hæc ferè in prioribus libris sparsim docuimus, tamen quoniā proprie id materia nunc exigit, quia de uita beata differere propositū est, explicanda sunt ista diligentius & plenius, ut dispositio dei, & opus, uoluntasq; noscat. Quū posset semper spiritibus suis immortalibus innumerabiles animas procreare, sicut angelos genuit, quibus immortalitas sine ullo malorū periculo, & metu constat: excogitauit tamen inenarrabile opus, quemadmodū infinitam multitudinem crearet animarum, quas primo imbecilibus fragilibusq; corporibus illigatas, cōstitueret inter bonum malumq; medias, ut cōstantibus ex utriusq; naturis uirtutem proponeret: ne immortalitatē delicate assequerent, ac molliter: sed ad illud æternæ uitæ ineloquibile præmiū, summa cū difficultate ac magnis laboribus peruenirent. Ergo ut eas grauibus & uexabilibus membris indueret, quoniā cōsistere in medio inani non poterāt, ponderibus & grauitate corporis deorsum premente, sedē illis ac domiciliū primo condendū esse decreuit. Itaq; ineffabili uirtute ac potētia, præclara mundi opera molitus est, suspensis in altitudinē leuibus elementis, & grauibus in imis depressis, & cœlestia firmauit, & terrena cōstituit. Nō est necesse nunc exequi singula, quoniā in secundo libro uniuersa executi sumus. Lumina igitur posuit in cœlo, quorum moderatio & claritas & motus aptissimus ad utilitates uiuentium temperatus est. Terræ autē, quam sedem uoluit esse, fœcunditatē uariam gignendi ac proferendi dedit, ut ubertas frugū, & herbarū, & uirentium, pro natura & usu cuiusq; generis alimoniā ministraret. Tum perfectis omnibus, quæ ad conditionem mūdi pertinebant, hominē finxit ex ipsa terra, quam illi à principio in habitaculū præparauit: id est spiritū suū terreno corpore induit & inuoluit, ut compactus ex rebus diuersis ac repugnantibus, bonū ac malum caperet: & sicut terra ipsa fœcūda est ad fruges pariendas, ita corpus hominis, quod assumptum est e terra, generādi copiam, facultatemq; procreandæ sobolis accepit: ut quoniam fragili materia formatus, in æternū manere non poterat, peractio tēporalis uitæ spacio cederet, & illud quod fragile atq; imbecillum gerebat, perpetua successione renouaret. Cur igitur eum mortalē finxit atq; fragilem, quū illius causa mūdum ædificasset: Primū ut infinita uis animarū gigneretur, omnemq; terrā multitudine oppleret. Deinde ut proponeret hominī uirtutē, id est tolerātiā malorū ac bonorum, per quam posset præmiū immortalitatis adipisci. Nam quia homo ex duabus rebus cōstat, corpore atq; anima, quorum alterū terrenum est, alterum cœleste, duæ uitæ hominī attributæ sunt: una tēporalis, quæ corpori assignatur: altera sempiterna, quæ animæ subiacet: Illam nascēdo accepimus, hanc assequimur laborādo, ne immortalitas hominī (ut ante diximus) sine ulla difficultate constaret: Illa terrena est, sicut corpus, & ideo finitur: hæc uero cœlestis, sicut anima, & ideo terminū nō habet. Illam primā nesciētes accepimus, hanc secundā scientes. Virtuti enim, non naturæ datur: quia uoluit nos deus uitam nobis in uita cōparare. Idcirco hanc nobis præsentem dedit, ut illam ueram & perpetuā, aut uitijs amittamus, aut uirtute mereamur. In hac corporali nō est summū bonum: quoniā sicut necessitate diuina nobis data est, ita rursum diuina necessitate soluetur. Ita quod finem habet, summū bonum non habet. In illa uero spiritali, quam per nos ipsi acquirimus, summū bonum cōtinetur: quia nec malum potest habere, nec finem: cuius rei argumentum natura & ratio corporis præbet. Cætera namq; animalia in humum uergunt, quia terrena sunt, nec capiunt immortalitatem, quæ de cœlo est. Homo autem rectus in cœlum spectat: quia proposita est illi immortalitas, nec tamen uenit, nisi tribuatur hominī a deo. Nam nihil interesset inter iustum & iniustum, siquidem omnis homo

Rerum natura
lium dispositio.

Duplex uita
hominī attri-
buita.

A homo natus, immortalis fieret: ergo immortalitas non sequela naturæ, sed merces præmiūq; uirtutis est. Deniq; homo non statim quando natus est, rectus ingreditur, sed quadrupes primo: quia ratio corporis, & huius præsentis uitæ, cōmunis est nobis cum mutis animalibus. Post deinde cōfirmatis uiribus erigitur, & lingua eius in eloquium soluitur, & mutū animal esse desinit. Quæ ratio docet, mortalem nasci hominem: postea uero immortalem fieri, quum cœperit ex deo uiuere, id est iustitiā sequi, quæ continetur in dei cultu: quum excitauerit hominē deus ad aspectum cœli, ac sui. Quod tunc fit, quum homo cœlesti lauacro purificatus, exponit infantiam cum omni labe uitæ prioris: & incremento diuini uigoris accepto, fit homo perfectus & plenus. Ergo quia uirtutē proposuit homini deus, licet anima & corpus cōsociata sint, tamen contraria sunt, & impugnant inuicem. Animi bona, mala sunt corporis: id est opum fuga, uoluptatū interdictio, doloris mortisq; contemptus. Item corporis bona, mala sunt animi: hoc est cupiditas & libido, quibus & opes appetuntur: & suauitas uariarum uoluptatum, quibus eneruatus animus extinguitur. Ideo necesse est iustum & sapiētem in omnibus malis esse, quoniam malorū uictrix est fortitudo: iniustos autē in diuitijs, in honore, in potestate. Hæc enim bona corporalia & terrena sunt. Illi autem, qui terrenā uitam agunt, nec assequi immortalitatem queunt: quia se uoluptatibus dediderūt, quæ sunt uirtutis inimicæ. Itaque uita hæc temporalis illi æternæ debet esse subiecta, sicut corpus animæ. Quisquis ergo animæ uitam maluerit, uitam corporis contemnat necesse est: nec aliter enī ad summum poterit, nisi quæ sunt ima, despexerit. Qui autem corporis uitā fuerit amplexus, & cupiditates suas in terram deiecerit, illam superiorem uitam consequi non potest. Sed qui mauult bene uiuere in æternum, male uiuet ad tempus, & afficietur omnibus molestijs & laboribus, quandiu fuerit in terra, ut habeat diuinū ac cœleste solatium. Et qui maluerit bene uiuere ad tempus, male uiuet in æternum: quia damnabitur dei sententiā ad pœnam, qui cœlestibus bonis terrena præposuit. Propterea igitur colit se deus expetit, & honorari ab homine tanquam pater, ut uirtutem & sapientiam teneat, quæ sola immortalitatem parit. Nam quia nullus alius præter ipsum donare eam potest, quia solus possidet pietatem hominis, qui deum honorauerit: hoc afficietur præmio, ut sit in æternū beatus, sitq; apud deum & cum deo semper.

Item quare mundus creatus sit, quare homo, quam inanis sit cultus deorum. Cap. VI



Nunc totam rationem breui circūscriptione signemus: Idcirco mundus factus est, ut nascamur. Ideo nascimur, ut agnoscamus factorem mūdi, ac nostri deū. Ideo agnoscamus, ut colamus. Ideo colimus, ut immortalitatem pro mercede laborum capiamus: quoniam maximis laboribus cultus dei constat. Ideo præmio immortalitatis afficimur, ut similes angelis effecti, summo patri ac deo in perpetuum seruiamus, & simus æternum deo regnū. Hæc summa rerum est, hoc arcanum dei, hoc mysterium dei, hoc mysteriū mūdi: à quo sunt alieni, qui sequentes præsentem uoluptatem, terrestribus ac fragilibus bonis se addixerunt: & animas ad cœlestia genitas, suauitatibus mortiferis, tanquam luto cœnōue demerserūt. Quæramus nunc uicissim, an in cultu deorū ratio ulla subsistat: qui si multi sunt, si ideo tantū ab hominibus coluntur, ut præstent illis opes, honores, uictorias, & quæq; alia, quæ nō nisi ad præsens ualent: si sine causa gignimur, si in hominibus procreādis prouidentia nulla uersatur, si casu nobismetipsis, ac uoluptatis nostræ gratia nascimur, si nihil post mortem sumus: quid potest esse tam supertacū, tam inane, tam uanum, quam humana res, & quam mūdus iste: qui quū sit incredibili magnitudine, tam mirabili ratione constitutus, tamen rebus

C ineptis uacet. Cur enim uentorum spiritus citent nubes? Cur emicent fulgura? tonitrua mugiant? imbres cadant? ut fruges terra producat, ut uarios foetus alat? Cur denique omnis natura rerum laboret, ne quid desit earum rerum, quibus uita hominum sustinetur, si est inanis, si ad nihilum interimus, si nihil est in nobis maioris emolumenti deo? Quod si est dictu nefas, nec putandum est fieri posse, ut non ob aliquam maximam rationem fuerit constitutum, quod uideamus maxima ratione constare: quae potest esse ratio in his erroribus prauarum religionum, & in hac persuasione philosophorum, qua putant animas interire? Profecto nulla: quid enim habent dicere, cur dii hominibus tam diligenter suis quaeque temporibus exhibeant? An ut illis far, & merum demus, & odorem thuris, & sanguinem pecudum? quae neque immortalibus grata esse possunt, quia sunt fragilia: neque usui esse expertibus corporum, quia haec ad usum corporaliu data sunt. Et tamen si ea desiderarent, sibi ipsi possent exhibere, quum uellent. Siue igitur intereunt animae, siue in aeternum manent, quam ratione continet cultus deorum? aut a quo mundus factus est? Cur, aut quando, aut quousque, quatenus homines, aut quamobrem procreati? Cur nascuntur, intereunt, succedunt, renouantur? Quid ex cultibus deorum assequuntur, qui post mortem nihil futuri sunt? Quid praestant? Quid pollicentur? Quid minantur aut hominibus, aut dijs dignum? Vel si manent animae post obitu, quid de his faciunt, facturique sunt? Quid illis opus est thesauro animarum? Ipsi illi ex quo fonte oriuntur? Quomodo, aut quare, aut unde multi sunt? Ita fit, ut si ab illa rerum summa, quam superius comprehendimus, aberraueris, omnis ratio intereat, & ad nihilum omnia reuoluantur.

D *Quare philosophi nequieverint comprehendere ueritatem integre: quam tamen, sicut exempla declarant, particulatim comprehenderunt totam, sed defendere nequieverunt. Cap. VII*



Amuidere

Quam summam quia philosophi non comprehenderunt, nec ueritatem comprehendere potuerunt: quamuis ea ferere, quibus summa ipsa constat, & uiderint & explicauerint: sed diuersi ac diuerse omnia illa protulerunt, non annectentes nec causas rerum, nec consequentias, nec rationes, ut summam illam, quae continet uniuersa, & cōpingerent & implerent. Facile est autem docere, penes uniuersam ueritatem per philosophos & sectas esse diuisam. Non enim sic philosophiam nos euertimus, ut Academici solent, quibus ad omnia respondere propositum est: quod est potius calumniari & illudere. Sed docemus nullam sectam fuisse tam deuiam, neque philosophorum quenquam tam inanem, qui non uiderit aliquid ex uero. Sed dum contradicendi studio insaniunt, dum sua etiam falsa defendunt, aliorum etiam uera subuertunt, non tantum illis ueritas elapsa est, quam se quaerere simulabant, sed ipsi etiam potissimum suo uitio perdidit. Quod si extitisset aliquis, qui ueritatem sparsam per singulos, per sectasque diffusam colligeret in unum, ac redigeret in corpus, is profecto non dissentiret a nobis. Sed hoc nemo facere, nisi ueri peritus ac sciens potest. Verum autem scire non nisi eius est, qui sit doctus a deo. Nemo enim potest aliter repudiare quae falsa sunt: eligere ac probare quae uera: sed si uel casu id efficeret, certissime philosopharetur. Et quamuis non posset diuinis testimonijs illa defendere, tamen seipsam ueritas illustraret suo lumine. Quare incredibilis est error illorum, qui, quum aliquam sectam probauerint, eique se addixerint, caeteras damnant tanquam falsas & inanes: armantque se ad praeliandum, nec quid defendere debeant scientes, nec quid refutare: incurfantque passim sine delectu omnia, quae afferunt quicumque dissentiunt. Ob has eorum pertinacissimas contentiones nulla extitit philosophia, quae ad uerum propius accederet: Nam particulatim ueritas ab his tota comprehensa est. Factum esse mundum

A dum à deo dixit Plato: idem prophetae loquuntur: idemque ex Sibyllae carminibus apparet. Errant ergo qui omnia uel sua sponte nata esse dixerunt, uel minutis sessionibus conglobatis: quoniam tanta res, tam ornata, tam magna neque fieri, neque disponi & ordinari sine aliquo prudentissimo autore potuit: & eadem ratio, qua consistere ac regi omnia sentiuntur, solertissima mentis artificem confitetur. Hominum causa mundum, & omnia quae in eo sunt, esse facta Stoici loquuntur: idem nos diuinae literae docent. Errauit ergo Democritus, qui uermiculorum modo putauit effusos esse de terra nullo autore, nullaque ratione. Cur enim formatus sit homo, diuini sacramenti est: quod quia ille scire non poterat, humanam uitam deduxit ad nihilum. Ad uirtutem capeffendam nasci homines Ariston differuit: idem nos monemur ac discimus à prophetis. Igitur falsus Aristippus, qui hominem uoluptati, id est malo, tanquam pecudem subiugauit. Immortales esse animas Pherecydes & Plato disputauerunt. Haec uero propria est in nostra religione doctrina. Ergo Dicaearchus cum Democrito errauit, qui perire cum corpore, ac dissolui argumentatus est. Esse inferos Zenon Stoicus docuit, & sedes piorum ab impijs esse discretas: & illos quidem quietas ac delectabiles incolere regiones: hos uero luere poenas in tenebrosis locis, atque in coeni uoraginibus horrendis. Idem nobis prophetae palam faciunt. Ergo Epicurus errauit, qui poetarum id esse figmentum putauit, & illas inferorum poenas, quae feruntur, in hac esse uita interpretatus est. Totam igitur ueritatem, & omne diuinae religionis arcanum philosophi attigerunt. Sed alijs refellentibus, defendere id quod inuenerant nequiuerunt: quia singulis ratio non quadravit: nec ea, quae uera senserant, in summam redigere poterunt, sicut superius nos fecimus.

*Philosophorum
uariæ opinio-
nes.*

B De immortalitate animae, & quibus eam argumentis Plato sit conatus astruere. Cap. VIII



Num est igitur summum bonum immortalitas, ad quam capiendam, & formati à principio, et nati sumus. Ad hanc tendimus, hanc spectat humana natura, ad hanc nos prouehit uirtus. Quod bonum quia comprehendimus, superest ut etiam de ipsa immortalitate dicamus. Platonis argumenta, quamuis ad rem conferant multum, tamen parum habent firmitatis ad probandam & implendam ueritatem: quoniam nec rationem mysterio tuis magni consummauerat, in unumque collegerat, nec summum bonum comprehenderat: Nam licet uerum de immortalitate animae sentiret, tamen non ita de illa, tanquam de summo bono diserebat. Nos igitur certioribus signis eligere possumus ueritatem, qui eam non ancipiti suspitione collegimus, sed diuina traditione cognouimus. Plato autem sic argumentatus est: Immortale esse quicquid per seipsum & sentit, & semper mouetur. Quod enim principium motus non habet, nec finem habiturum: quia deserere à semetipso non potest. Quod argumentum etiam mutis animalibus aternitatem daret, nisi adiectione sapientiae discreuisset. Addidit igitur, ut effugeret hanc communitatem, fieri non posse, quin sit immortalis animus humanus: cuius miranda solertia inueniendi, & celeritas cogitandi, & facilitas percipiendi atque discendi, & memoria praeteritorum, & prouidentia futurorum, & artium plerumque innumerabilium scientia, qua caeterae careant animantes, diuina & caelestis appareat: quia origo animi, qui tanta capiat, & tanta contineat, nulla reperitur in terra: siquidem ex concretionem terrena nihil habeat admistum: sed necesse est in terram resolui, quod est in homine ponderosum & dissolubile: quod autem tenue, ac subtile, id uero esse indiuiduum, ac domicilio corporis uelut carcere liberatum, ad caelum & naturam suam peruolare. Haec ferè Platonis collecta breuiter, quae apud ipsum late copioseque explicantur. In eadem sententia fuit etiam Pythagoras

*Platonis de immo-
rtalitate ani-
mae argumēta.*

† discernendi

C antea, eiusdemq; præceptor Pherecydes: quem Cicero tradit primum de æternitate animarū disputasse. Qui omnes, licet eloquētia excellerent, tamen in hac duntaxat cōtentione, non minus autoritatis habuerunt, qui contra hanc sententiam differebant: Dicæarchus primo, deinde Democritus, postremo Epicurus: adeo ut res ipsa, de qua inter se pugnabant, in dubium uocaretur: deniq; & Tullius expositis horum omnium de immortalitate ac morte sententijs, nescire se quid sit uerum pronunciauit. Harū, inquit, sententiarū quæ uera sit, deus aliquis uiderit. Et rursus alibi: Quoniam utraq; inquit, earum sententiarū doctissimos habuit autores, nec quid certi sit diuinari potest. Verum opus nobis diuinatione non est, qui bus ueritatem diuinitas ipsa patefecit.

Quæ sit de immortalitate animæ fidelis assertio. Et quod laborum uirtutumq; finis beata æternitas est. Cap. IX

Is itaq; argumentis, quæ nec Plato, nec ullus alius inuenit, animarum æternitas probari ac perspicui potest, quæ nos breuiter collegimus: quoniam properat oratio ad narrandum iudicium dei maximū, quod in terra propinquante seculorum fine celebrabitur. Ante omnia, quoniam deus ab homine uideri non potest, ne quis tamen ex eo ipso putaret deum non esse, quia mortalibus oculis non uideretur, inter cætera institutorū suorū miracula, fecit etiam multa, quorum uis quidē apparet, substantia tamen non uideretur: sicut est uox, odor, uentus: ut harum rerum argumento & exemplo, etiam deū, licet sub oculos non ueniret, de sua tamen uis, & effectū, & operibus cerneremus. Quid uoce clarius? aut uēto fortius? aut odore uiolentius? Hæc tamen, quæ per aërem feruntur, ad sensusq; nostros ueniunt, & eos potentia sua impellunt, non cernuntur acie luminum, sed alijs corporis partibus sentiuntur. Similiter deus non aspectu nobis, alioue fragili sensu cōprehendendus est, sed mentis oculis intuentus, quæ opera eius præclara, & miranda uideamus. Nam illos, qui nullum omnino deum esse dixerūt, non modò philosophos, sed ne homines quidem esse dixerim: qui mutis similibi ex solo corpore constiterunt, nihil omnino cernentes animo, & ad sensum corporis cuncta referētes, qui nihil putabant esse, nisi quod oculis cōtuebantur. Et quia uidebant aut bonis accidere aduersa, aut malis prospera, fortuitu geri omnia crediderunt: & natura mundum, non prouidentia constitutū. Hinc iam prolapsi sunt ad deliramenta, quæ talem sententiā necessariò sequebantur. Quod si est deus & incorporalis, & inuisibilis, & æternus, ergo non idcirco intueri animam credibile est, quia non uidetur, postquam recessit à corpore: quoniam constat esse aliquid sentiens ac uigens, quod non ueniat sub aspectum. At enim difficile est animo comprehendere, quemadmodū possit anima retinere sensum sine ijs partibus corporis, in quibus inest officium sentiēdi. Quid de deo? Num facile est cōprehēdere, quemadmodū uigeat sine corpore? Quod si deos esse credūt, quæ si sunt, utiq; sunt expertes corporū, necesse est humanas animas eadē ratione subsistere: quoniam ex ipsa ratione ac prouidentia intelligit esse quædam in homine ac deo similitudo. Deniq; illud argumentū, quod M. Tul. uidit, satis firmū est, ex eo æternitatē animæ posse dignosci, quia nullum sit aliud animal, quod habeat notitiā dei aliquā: religioq; sit penè sola, quæ hominē discernat à mutis: quæ quæ in hominē solum cadat, profectò testatur id affectare nos, id desiderare, id colere, quod nobis familiare, quod proximū sit futurū. An aliquis, cum cæterarū animalium naturā considerauerit, quas pronis corporibus abiectas in terrāq; prostratas summi dei prouidentia effecit, ut ex hoc intelligi possit, nihil eas rationis habere cum cælo, potest non intelligere solum ex omnibus cœleste, ac diuinū animal esse hominem;

Immortalitas animæ.

- A hominem: cuius corpus ab humo excitatum, uultus sublimis, status erectus, originem suam quaerit, & quasi contempta humilitate terrae, ad altum nititur: quia sentit summum bonum in summo sibi esse quaerendum: memorque conditionis suae, qua deus illum fecit eximium, ad artificem suum spectat. Quam speculationem Trismegistus *thelema* rectissime nominauit, quae in mutis animalibus nulla est. Quam autem sapientia, quae soli homini data est, nihil aliud sit, quam dei notitia, apparet animam non interire neque dissolui, sed manere in sempiternum: quia deum, qui sempiternus est, & quaerit & diligit ipsa cogente natura, sentiens uel unde orta sit, uel quo reditura. Praeterea non exiguum immortalitatis argumentum est, quod homo solus caelesti elemento utatur. Nam quum rerum natura his duobus elementis, quae repugnantia sibi & inimica sunt, constet, igne & aqua, quorum alterum caelo, alterum terrae adscribitur: caetera animantes, quia terrenae mortalesque sunt, terreno grauique utuntur elemento: homo solus ignem in usu habet, quod est elementum leue, sublime, caeleste. Ea uero quae ponderosa sunt, ad mortem deprimunt: & quae leuia sunt, ad uitam subleuant: quia uita in summo est, mors in imo. Et ut lux esse sine igne non potest, sic uita sine luce. Igitur ignis elementum est lucis ac uitae: unde apparet hominem, qui eo utitur, immortalem sortitum esse conditionem: quia id illi familiare est, quod facit uitam. Virtus quoque homini soli data, magno argumento est, immortales esse animas, quod non erit secundum naturam, si anima extinguitur. Huic enim praesenti uitae nocet: nam uita ista terrena, quam communem cum mutis animalibus ducimus, & uoluptatem expetit, cuius uarijs fructibus ac suauitatibus delectatur: & dolorem fugit, cuius asperitas naturam uiuentium acerbis sensibus ledit, & ad mortem perducere nititur, quae dissoluit animantes. Si ergo uirtus & prohibet ijs bonis hominem, quae naturaliter appetuntur: & ad sustinenda mala impellit, quae naturaliter fugiuntur: ergo malum est uirtus, & inimica naturae, stultumque iudicari necesse est, qui eam sequitur: quoniam se ipse laedit, & fugiendo bona praesentia, & appetendo aequae mala sine spe fructus amplioris. Nam quum liceat nobis iucundissimis frui uoluptatibus, nonne sensu carere uideamur, si malimus in humilitate, in egestate, in contemptu, in ignominia uiuere, aut ne uiuere quidem, sed dolere, cruciari, & mori? Ex quibus malis nihil amplius assequamur, quo possit uoluptas omissa pensari. Si autem uirtus malum non est: facitque honeste, quod uoluptates uitiosas turpesque contemnit: & fortiter, quod nec dolorem nec mortem timet, ut officium seruet: ergo maius aliquod bonum assequatur, necesse est, quam sunt illa, quae spernit. At uero morte suscepta, quod ulterius bonum sperari potest, nisi aeternitas?
- B quae naturaliter appetuntur: & ad sustinenda mala impellit, quae naturaliter fugiuntur: ergo malum est uirtus, & inimica naturae, stultumque iudicari necesse est, qui eam sequitur: quoniam se ipse laedit, & fugiendo bona praesentia, & appetendo aequae mala sine spe fructus amplioris. Nam quum liceat nobis iucundissimis frui uoluptatibus, nonne sensu carere uideamur, si malimus in humilitate, in egestate, in contemptu, in ignominia uiuere, aut ne uiuere quidem, sed dolere, cruciari, & mori? Ex quibus malis nihil amplius assequamur, quo possit uoluptas omissa pensari. Si autem uirtus malum non est: facitque honeste, quod uoluptates uitiosas turpesque contemnit: & fortiter, quod nec dolorem nec mortem timet, ut officium seruet: ergo maius aliquod bonum assequatur, necesse est, quam sunt illa, quae spernit. At uero morte suscepta, quod ulterius bonum sperari potest, nisi aeternitas?

Item de immortalitate animae: Et quod uirtus semel habita perpetuatur, & amitti non potest: Et quod uita duplex est: & item mortes duae homini praeponuntur. Cap. X



Transeamus nunc uicissim ad ea, quae uirtuti repugnant, ut etiam ex his immortalitas animae colligatur. Vitia omnia temporalia sunt: ad praesens enim mouetur irae impetus, recepta ultione sedatur: libidinis uoluptas, corporis finis est: cupiditatem autem satietas earum rerum, quas expetit, aut aliorum affectuum commotiones interimunt: ambitio postquam honores, quos uoluit, adeptam est, confenescit. Item caetera uitia consistere ac permanere non possunt, sed ipso fructu, quem expetunt, finiuntur. Recedunt ergo, & redeunt. Virtus autem sine ulla intermissione perpetua est: nec discedere ab eo potest, qui eam semel cepit. Nam si habeat interuallum, si aliquando ea carere possumus, redibunt protinus uitia, quae uirtutem semper impugnant. Non est igitur comprehensa, si deserit, si aliquando secedit. Quum uero sibi domicilium stabile collocauit, in omni actu uersari eam necesse est: Nec potest fideliter depel-

Virtus amitti non potest.

clere uitia & fugare, nisi peccatus, quod insedit, perpetua statione munierit. Ipsa ergo uirtutis perpetuitas indicat, humanum animum, si uirtutem ceperit, permanere: quia & uirtus perpetua est, & solus animus humanus uirtutē capit. Quoniam igitur contraria sunt uitia uirtuti, omnis ratio diuersa & contraria sit, necesse est: quia uitia cōmōtiones & perturbationes animi sunt: uirtus ē contrario lenitudo & tranquillitas animi est. Quia uitia temporalia & breuia sunt, uirtus perpetua, & constans, & par sibi semper. Quia uitiorū fructus, id est uoluptates, æque ut ipsa, breues tēporalesq; sunt. Virtutis ergo fructus, ac præmiū sempiternū est: quia uitiorū cōmodum in præsentī est, uirtutis igitur in futuro. Ita fit ut in hac uita uirtutis præmiū nullū sit: quia uirtus adhuc ipsa est. Nam sicut uitia, quū in actu suo finiuntur, uoluptas & præmia eorū sequuntur: ita uirtus, quū finita est, merces eius insequitur. Virtus autem nunq; nisi morte finitur, quoniā & in morte suscipienda summū eius officium est. Ergo præmiū uirtutis est post mortem. Deniq; Cicero in Tusculanis, quamuis dubitanter, tamen sensit, summū hominī bonum non nisi post mortem contingere. Fidenti animo, inquit, si ita res feret, gradietur ad mortem, in qua aut summum bonum, aut nullum malum esse cognouimus. Mors igitur non extinguit hominē, sed ad præmiū uirtutis admittit. Qui autem se (ut ait idem) uitij ac sceleribus contaminauerit, uoluptatiq; seruerit, is uero damnatus æternam luet pœnam: quam diuinæ literæ secūdam mortem nominant, quæ est perpetua, & grauissimis cruciatibus plena. Nam sicut duæ uitæ propositæ sunt hominī, quarum altera est animæ, altera corporis, ita & mortes duæ propositæ sunt: una pertinens ad corpus, qua cunctos secundum naturam fungī necesse est: altera pertinens ad animam, quæ scelere acquiritur, uirtute uitatur. Et ut hæc uita temporalis est, certosq; terminos habet, quia corporis est: sic & mors æque tēporalis est, certumq; habet finem, quia corpus attingit.

De resurrectione corporum mortuorum, & morte, & animarum perpetuitate. Cap. XI



Impletis ergo tēporibus, quæ deus morti statuit, terminabit ipsa mors. Et quia temporalem uitam temporalis mors sequitur, consequens est, ut resurgant animæ ad uitam perennem: quia finem mors temporalis accipit. Rursus, sicut uita animi sempiterna est, in qua diuinos, & ineliquibiles immortalitatis suæ fructus capit: ita & mors eius perpetua sit necesse est, in qua perennes pœnas, & infinita tormenta pro peccatis suis pendet. Ergo in eā cōditione res posita est, ut q; beati sunt in hac uita t; corporali atq; terrena, semper miseri sint futuri: quia iam bonis, quæ maluerunt, potiti sunt: quod ijs euenit, qui deos adorant, deum negligūt. Deinde qui iustitiā sequentes in hac uita miseri fuerint, & contempti, & inopes, & ob ipsam iustitiā contumelijs & iniurijs sæpe uexati, quia nec aliter uirtus teneri potest, semper beati sunt futuri: ut quia mala iam pertulerunt, etiā bonis fruuntur. Quod his utiq; contingit, qui contemptis terrestribus dijs, & fragilibus bonis, cœlestem religionem dei sequuntur: cuius bona, sicut ipse qui tribuit, sempiterna sunt. Quid opera corporis atq; animi? nōne indicant esse animā mortis expertem? Nam corpus, quia ipsum fragile est, atq; mortale, quæcunq; opera molitur, æque caduca sunt. Nihil enim Tullius ait esse, quod sit manibus humanis laboratum, quod non aliquando ad interitum redigatur: uel iniuria hominum, uel ipsa confectrice rerum omnium uetustate. At uero animi opera uidemus æterna. Nam quicunq; cōtemptui præsentium studentes, in memoriam monumenta ingeniorum factorumq; magnorū reliquerūt, ij planè mentis suæ, ac uirtutis nomen indelebile quæsterunt. Ergo si opera corporis ideo mortalia sunt, quia

temporalis

A quia ipsum mortale est: sequitur ex eo, ut anima immortalis appareat, quia uidemus opera eius non esse mortalia. Eodem modo desideria quoque corporis animique declarant, alterum esse mortale, alterum sempiternum. Corpus enim nihil, nisi temporale desiderat: id est cibum, potum, indumentum, quietem, uoluptatem: & tamen haec ipsa sine uisibili & adminiculo animi nec cupere, nec assequi potest. Animus autem per se multa desiderat, quae ad officium fructum uel corporis redundant: eaque non fragilia, sed aeterna sunt, ut fama uirtutis, ut memoria nominis. Nam cultum dei, qui constat abstinentia cupiditatum ac libidinum, patientia doloris, ac contemptu mortis, etiam contra corpus anima concupiscit. Unde credibile est non interire animam, sed dissociari a corpore: quia corpus sine anima nihil potest: animus autem potest multa & magna sine corpore. Quid, quod ea quae uisibilia sunt oculis, & tangibilia manu, quia aeternam uim pati possunt, aeterna esse non possunt? Ea uero quae neque sub tactum, neque sub uisum ueniunt, sed tantummodo uis eorum, & ratio, & effectus apparet, aeterna sunt: quia nullam uim patiuntur extrinsecus. Corpus autem si ideo mortale est, quia uisui pariter ac tactui subiaceret: ergo & anima idcirco immortalis est, quia nec tangi potest, nec uideri.

Item de immortalitate animae contra Lucretium & Epicurum: Et de differentia mentis, & animae: & corporum resurrectione. Cap. XII



Nunc argumenta eorum, qui contradixerunt, refellamus, quae Lucretius tertio libro executus est: quoniam cum corpore, inquit, anima nascitur, cum corpore intereat necesse est. At non est par utriusque ratio: Solidum enim & comprehensibile corpus est & oculis, & manu: anima uero tenuis, & tactum uisumque fugiens. Corpus ex terra fictum atque solidatum est: anima in se nihil concreti, nihil terreni ponderis habet, ut Plato differebat. Nec enim tantam posset habere solertiam, tantam uim, tantam celeritatem, nisi originem traheret a caelo. Corpus igitur quoniam fictum ex ponderoso & corruptibili elemento, & tangibile est, & uisibile, corrumpitur atque occidit, nec uim repellere potest: quia sub aspectum & sub tactum uenit: Anima autem, quia tenuitate sua omnem tactum fugit, nullo ictu dissolui potest. Ergo quamuis inter se coniuncta & sociata nascantur, & alterum, quod est de terrena concretione formatum, quasi uasculum sit alterius, quod est a caelesti subtilitate deductum: quum uis aliqua utrumque discreuerit, quae discretio mors uocatur: tum utrumque in naturam suam recedit: quod ex terra fuit, id in terram resoluitur: quod ex caelesti spiritu, id constat ac uiget semper: quoniam diuinus spiritus sempiternus est. Deinde idem Lucretius oblitus quid assereret, & quod dogma defenderet, hos uersus posuit:

Cedit item retro, de terra quod fuit ante,

In terras: & quod missum est ex aetheris oris,

Id rursus caeli fulgentia templa receptant.

Quod eius non erat dicere, qui perire animas cum corporibus differebat: sed uisus est ueritate, & imprudenti ratio uera surrepsit. Praeterea id ipsum, quod colligit, dissolui animam, hoc est simul cum corpore interire, quoniam simul nascatur, & falsum est, & in contrarium conuerti potest. Non enim simul interit, sed anima discedente integrum per multos dies manet: & plerumque medicatum diutissime durat. Nam si ut simul nascuntur, simul interirent: non discederet repente anima, corpusque deferret: sed uno temporis puncto utrumque pariter dissiparetur: & tam celeriter etiam corpus, adhuc spiritu in eo manente, deliquesceret ac periret, quam celeriter anima discedit. Imo uero dissoluto corpore anima uanesceret, uelut humor fracto uase diffusus. Nam si terrenum & fragile corpus post secessum animae non statim defluit, in terramque tabescit, ex qua illi origo est: ergo anima, quae fragilis non est, in

C æternum manet: quoniam origo eius æterna est. Quoniã crescit, inquit, sensus in pueris, & in iuuenibus uiget, & in senibus diminuitur, apparet esse mortalem. Primum, non est idem mens & anima: Aliud est enim quo uiuimus, aliud quo cogitamus. Nam dormientium mens, nõ anima sopitur: & in furiosis mens extinguitur, anima manet: & ideo nõ examines, sed dementes uocantur. Mens ergo, id est intelligentia, uel auget, uel minuitur pro ætate. Anima in statu suo semper est: & ex quo tempore spirandi accepit facultatẽ, eadem usq; ad ultimũ durat, donec emissã corporis claustro, ad sedem suam reuolet. Deinde, quod anima quãuis à deo sit inspirata, tamen quia tenebroso domicilio terrenæ carnis inclusa est, scientiam nõ habet, quæ est diuinitatis. Audit ergo, ac discit omnia, & sapientiam discendo & audiendo capit: & senectus nõ minuit sapientiam, sed auget, si tamen iuuenilis ætas uirtute decursa est: Et si nimia senectus fregerit membra, non est animæ uitium, si uisus euauit, si lingua torpuit, si auditus obsurduit, sed corporis. At enim memoria defecit: quid mirũ si labentis domiciliũ ruina premitur mens, & præterita obliuiscitur, non aliter futura diuina, quàm si carcerem quo cohibetur, effugerit. Verum eadem, inquit, dolori ac luctu obnoxia est, & ebrietate dementit, unde fragilis & mortalis apparet. Idcirco igitur uirtus & sapientia necessaria est, ut & moeror, qui contrahitur indigna patiẽdo ac uidẽdo, fortitudine repellatur: & uoluptas nõ modò potandi, sed etiã cæterarũ rerum abstinentia superetur. Nam si careat uirtute, si uoluptatibus dedita molliatur, morti fiet obnoxia: quoniã & uirtus (ut docuimus) immortalitatis est fabricatrix, & uoluptas mortis. Mors autẽ (sicut ostendi) non funditus perimit ac delet, sed æternis afficit cruciatibus. Nam interire prorsus anima nõ potest, quoniã ex dei spiritu, qui æternus est, originem cepit.

D Anima etiã, inquit, morbũ corporis sentit, & obliuionẽ sui patitur. Et sicut ægrescit, sic etiã sæpe sanat. Hoc est ergo cur maxima uirtus adhibẽda sit, ne ullo corporis dolore frangatur, & obliuionẽ sui non anima, sed mens patiat. Quæ quoniam certa corporis regione consistit, quũ eam partem uis aliqua morbi uitiauerit, mouet loco, & quasi conuulsata de sede sua migrat, reditura scilicet quũ medela, & quũ sanitas domiciliũ suum reformauerit. Nam quia anima est iuncta cum corpore, si uirtute careat, contagio eius ægrescit: & imbecillitas de societate fragilitatis redundat ad mentem. Quum autem dissociata fuerit à corpore, uigebit ipsa per se, nec ulla iam fragilitatis conditione tentabitur: quia indumentũ fragile proiecit. Sicut oculus, inquit, euulsus à corpore ac separatus, nihil potest uidere, ita & anima separata nihil sentire: quia & ipsa pars est corporis. Falsum hoc & dissimile est. Anima enim non pars corporis, sed in corpore est. Sicut id quod uase continetur, uasis pars non est: nec ea quæ in domo sunt, partes domus esse dicuntur: ita nec anima pars est corporis, quia corpus uel uas animæ est, uel receptaculũ. Iam illud argumentum multo magis inane est, quo ait animã, quia nõ citius emittatur è corpore, mortalem uideri, sed paulatim se ex omnibus membris explicet, à summis pedibus incipiens: quæ si esset æterna, uno temporis momẽto eruperet: quod fit in ijs, qui ferro intereunt. Quos autẽ morbus interimit, spiritũ diutius exhalant, ut paulatim frigescentibus mēbris anima effletur: quæ quum materia sanguinis contineat, sicut lumẽ oleo, ea materia febrũ calore cõsumpta, necesse est membrorũ summa quæq; frigescere: quoniã uenæ exiliores in extrema corporis porriguntur: & extremi ac tenuiores riuũ deficiente uena fontis arescunt. Nec tamen, quia sensus corporis deficit, animæ sensum extingui & occidere putandũ est. Nõ enim anima corpore deficiente, sed corpus anima decidẽte putrescit: quia sensum omnem trahit secum. Quũ autẽ præsens anima sensum tribuat corpori, & uiuere id efficiat, fieri non potest,

A test, ut non ipsa per se uiuat & sentiat: quoniā ipsa est & sensus & uita. Nam qd ait:
 Quod si immortalis nostra foret mens,
 Non tam se moriens dissolui conquereretur,
 Sed magis ire foras, uestemq; relinquere, ut anguis,
 Gauderet.

Equidem nunquam uidi qui quereretur, se morte dissolui: sed ille fortasse Epicu-
 reum aliquē uiderat, etiam dum moritur, philosophātem, ac de sua dissolutione in
 extremo spiritu differētē. Quomodo sciri potest, utrum dissolui se sentiat, an cor-
 pore liberari, quū in exitu lingua mutescat? Nam dum sentit, & loqui potest, non-
 dum dissolutus est: ubi dissolutus est, nec sentire iam, nec loqui potest. Ita queri de
 dissolutione aut nondum potest, aut iam non potest. At enim priusq; dissoluatur,
 intelligit se dissolutum iri. Quid, quod uidemus plerosq; morientium, nec dissolui
 cōquerentes (ut ait) sed exire se, & proficisci, & ambulare testantes: idq; aut gestu
 significant, aut, si adhuc possunt, & uoce pronunciant? Vnde apparet non dissolu-
 tionem fieri, sed separationē, quæ declarat animā permanere. Cætera Epicurei do-
 gmatis argumenta Pythagoræ repugnant differenti, migrare animas de corpori-
 bus uetustate ac morte confectis, & insinuare se nouis & recens natis: & easdē sem-
 per renasci, modò in homine, modò in pecude, modò in bestia, modò in uolucres:
 & hac ratione immortales esse, quod sæpe uariorū ac dissimilium corporū domici-
 lia commutent. Quæ sententia deliri hominis, quoniā ridicula, & mimo dignior,
 quā † schola fuit, nec refelli quidem serio debuit. Quod qui facit, uidetur uereri
 ne quis id credat. Prætereūda sunt igitur nobis ea, quæ pro falso cōtra falsum disse-
 rebantur: satis est ea refutasse, quæ contra uerum disputata sunt.

*Animas migrā
 re de corpori-
 bus in noua cor-
 pora.*

† scholastico

B Quibus testimonijs immortalitas animæ approbatur, & futurum iudicium dei:

Et quantum Aristoxenus alios uicerit in errore. Cap. XIII



Declarauī (ut opinor) animam non esse solubilem: superest citare testes,
 quorum autoritate argumenta firmentur. Neq; nunc prophetas in tes-
 timonium uocabo, quorum ratio & diuinitio in hoc solo posita est, ut
 ad cultum dei, & ad immortalitatē ab eo accipiendam creari hominem
 doceant: sed eos potius, quibus istos qui respuunt ueritatem, credere sit necesse.
 Hermes naturam hominis describens, ut doceret quemadmodum esset à deo fa-
 ctus, hæc intulit: καὶ τὸ αὐτὸ δὲ ἀμφοτέρων φύσεων ἢ τε ἀθανάτου ἢ ἢ θνητῆς μίαν ἐποίησε
 φύσιν ἀνθρώπου, τὸν αὐτὸν πῆ μὲν ἀθανάτου, πῆ ἢ θνητὸν ποιήσας, καὶ τὸ τὸν φέρων, ἢ μείω
 θείας καὶ ἀθανάτου φύσεως, καὶ τῆς θνητῆς καὶ μεταβλητῆ κατεσχόσατο, ἵνα ὁρῶν ἅπαντα,
 ἅπαντα ἢ θαυμάσει. Sed hunc fortasse aliquis in numero philosophorum compu-
 tet: quamuis in deos relatus, Mercurij nomine ab Aegyptijs honoretur: nec plus
 ei autoritatis tribuat, quā Platoni aut Pythagoræ. Maius igitur testimonium re-
 quiramus. Polytes quidam consuluit Apollinem Milesium, utrum 'ne maneat ani-
 ma post mortem, an resoluatur: espondit his uersibus:

*Animæ eter-
 nitas.*

*Ψυχὴ μὲν μέχρι δὲ δεσμοῖς πρὸς σῶμα κρατεῖται,
 φθαρτὰ νοῦσα πᾶν θνητῶν ἀλγυδ' ὄσιν ἔεικε.
 ἵνικα δ' ἀάλυσιν βροτέλω μετὰ σῶμα μαρνασθῆν,
 ὠκίστω εὐρητοῖ ἐς αἰθέρα πᾶσα φορεῖται,
 αἰγὴ ἀγύραθ' ὄσα, μένει δ' εἰς πάντα πᾶσι ἀτειρῆς.
 πρῶτόγονος γὰρ τὸ το θεῶ δλιέταξε πρόνοια.*

Quid carmina Sibyllina: Nōne ita esse declarant, quū fore aliquādo denunciant,
 ut à deo de uiuis ac mortuis iudicetur? quorū exēpla paulò post inferemus. Falsa
 est igitur Democriti, & Epicuri, & Dicaarchi de animæ dissolutione sententia, qui

C profectio nō auferent de interitu animarum mago aliquo praesente differere, qui sciret certis carminibus ciere ab inferis animas, & adesse, & praebere se humanis oculis uidentas, & loqui, & futura praedicere. Et si auferent, re ipsa, & documentis praesentibus uincerentur. Sed quia nō peruidebant animae rationem, quae tam subtilis est, ut oculos humanae mentis effugiat, interire dixerunt. Quid Aristoxenus, qui negauit omnino ullam esse animam, etiam quum uiuit in corpore: sed sicut in fidibus ex intentione neruorū effici concordem sonum atq; cantum, quem Musici harmoniam uocant, ita in corporibus ex compage uiscerū, ac uigore membrorū uim sentiendi existere: quo nihil dici delirius potest. Verū ille oculos quidem habuit incolumes, cor tamen caecum: quia uiuere se & habere mentem, quae idipsum cogitauerat, non uidebat. Sed plerisque hoc philosophis accidit, ut putaret omnino nō esse, quicquid oculis non apparet: quū mentis acies, multo clarior esse debeat, q̄ corporis, ad ea perspicienda, quorū uis ac ratio sentit potius q̄ uidetur.

Aristoxeni de
anima sententia.

De fine mundi, & errore Chaldaeorum: De aetate mundi, & quod post sex aetates, id est sex mille annorum status mundi mutabitur & renouabitur: Et quod mille anni sunt unus dies dei: & quod mille annos regnabunt electi dei in terra post iudicium. Cap. XIII



Quoniam de immortalitate diximus animae, sequitur, ut doceamus quatenus homini, & quando tribuatur: ut in hoc quoque prauitatis & stultitiae suae perspiciant errores, qui mortales quosdam decretis placitisq; mortalium deos esse factos opinantur: uel quod artes inuenerant, uel quod usum quarundam frugū docuerant, uel quod utilia uitae hominum prodiderant, uel quod immanes bestias interemerāt. Quae merita q̄ longe ab immortalitate semota sint, & docuimus in prioribus libris, & nunc docebimus: ut appareat solum esse iustitiam, quae uitam homini pariat aeternā: & solum deū, qui aeternae uitae praemium largiatur. Nam illi qui suis meritis immortales facti esse dicuntur, quia nec iustitia, nec ulla in his uera uirtus fuit: nō immortalitatem sibi, sed mortem peccatis ac libidinibus quaesierunt: nec coeleste praemium, sed inferna supplicia meruerunt: quae pendunt simul cum ijs omnibus, qui eos coluerunt. Cuius iudicij propinquare tempus ostendam: ut & iustis merces digna soluatur, & poena merita impijs irroget. Plato, & multi alij philosophorū, quum ignorarent originem rerū, supremumq; illud tempus, quo mūdus esset effectus, multa millia seculorū fluxisse dixerunt, ex quo hic pulcherrimus mūdi ornatus extiterit: sicuti fortasse Chaldaei, qui (ut Cicero tradidit in lib. de diuinatione primo) quadringenta septuaginta millia annorū mentis cōprehensa, se habere delirant: in quo se, quia posse argui nō putabāt, liberum sibi crediderunt esse mentiri. Nos autē, quos diuinæ literae ad scientiā ueritatis erudiūt, principium mundi, finemq; cognouimus: de quo nunc in fine operis disseremus: quoniam de principio in secūdo lib. explicauimus. Sciant igitur philosophi, qui ab exordio mundi seculorū millia enumerant, nondū sextū millesimū annum esse cōclusum: quo numero expleto, consummationem fieri necesse est, & humanarum rerū statum in melius reformari: cuius rei argumentū prius est enarrandū, ut ratio elucescat. Mundum deus, & hoc naturae admirabile opus (sicut arcanis sacrae scripturae cōtinetur) sex dierū spacio consummauit, diemq; septimū, quo ab operibus requieuit, sanxit. Hic est autē dies sabbati, qui in lingua Hebraeorū a numero nomē accepit: unde septenarius numerus legitimus & plenus est. Nam & dies septem sunt, quibus per uicem reuolutis, orbis conficiuntur annorū: & septem stellae, quae nō occidunt: & septem sydera, quae uocantur errantia: quorū dispares cursus, & inaequales motus, rerum ac temporū uarietates efficere creduntur. Ergo quoniam sex diebus cuncta dei opera perfecta sunt, per secula sex, id est sex millia annorū manere

Septenarius
numerus perfectus.

A nere in hoc statu mundū necesse est. Dies enim magnus dei mille annorum circulo terminatur, sicut indicat Propheta dicens: Ante oculos tuos domine mille anni tanquam dies unus. Et sicut deus sex illos dies in tantis rebus faciendis laboravit, ita & religio eius, & ueritas in his sex millibus annorum laborare necesse est, malitia praeualente ac dominante. Et rursus, quoniā perfectis operibus requieuit die septimo, eumq̄ benedixit, necesse est, ut in fine sexti millesimi anni malitia omnis aboleatur ē terra, & regnet per annos mille iustitia, sitq̄ tranquillitas & requies a laboribus, quos mundus iandiu perfert. Verum quatenus id eueniat, explicabo suo ordine. Sape diximus, minora & exigua magnorū figuras & praeuonstrationes esse: & hunc diem nostrum, qui ortu solis & occasu finitur, diei magni speciem gerere, quem circuitus annorum mille determinat. Eodem modo etiam figuratio terreni hominis, caelestis populi praeferbat in posterū fictionem. Nam sicut perfectis omnibus, quae in usum hominis molitus est deus, ipsum hominē sexto die ultimum fecit, eumq̄ induxit in hunc mundū, tanquam in domum iam diligenter instructam: ita nunc sexto die magno uerus homo uerbo dei fingitur: id est sanctus populus doctrina & praeceptis dei ad iustitiā figuratur. Et sicut tunc mortalis atq̄ imperfectus ē terra fictus est, ut mille annis in hoc mūdo uiueret: ita nunc ex hoc terrestri seculo fingitur homo perfectus, ut uiuificatus a deo, in hoc eodem mūdo per annos mille dominetur. Quomodo autem cōsummatio futura sit, & qualis exitus humanis rebus impēdeat, si quis diuinas literas fuerit scrutatus, inueniet. Sed & seculariū prophetarū cōgruentes cum caelestibus uoces, finem rerum, & occasum post breue tēpus annunciant: describentes quasi fatigati, & dislabentis mūdi ultimam senectutē. Quae uero a prophetis & uatibus futura esse dicantur, prius q̄ superueniat extrema illa cōclusio, collecta ex omnibus & coaceruata subnectā.

Mundi cōsummatio.

Quod submersio Pharaonis & Aegyptiorū, & liberatio Hebraeorum de seruitute Aegypti, praefigurauit liberationem electorum, & reprobationem damnatorum, quae futura est in fine mundi: Et quod signa multa sicut illam, ita & hanc praecedent liberationem: Et quod Romanum imperiū ante delebitur: Et quod in Asiam summa potestas omnium reuertetur: Et quibus etatum gradibus Roma creuerit, & deficiet. Cap. XV



Fst in arcanis sanctarum literarum transcendisse in Aegyptum cogente inopia rei frumentariae, principem Hebraeorum, cum omni domo & cognatione: cuius & posterī, quum diutius in Aegypto cōmorantes, in magnam gentem creuissent, & graui atq̄ intolerabili seruitutis iugo premerentur, percussit Aegyptum deus insanabili plaga, & populum suum liberauit traductū medio mari, discissis fluctibus, & in utranq̄ partem dimotis, ut per siccum populus graderetur. Conatusq̄ rex Aegyptiorum profugos insequi, cōeunte in statū suum pelago, cum omnibus copijs interceptus est. Quod facinus tam clarū, tamq̄ mirabile, quāuis ad praesens uirtutē dei hominibus ostenderet, tamen praesignificatio, & figura maioris rei fuit, quā deus idem in extrema temporis cōsummatione faciurus est: liberabit enim plebem suā de graui seruitute mundi. Sed quoniā tunc una plebs dei, & apud unam gentē fuit, Aegyptus tunc sola percussa est. Nūc autē, quia dei populus ex omnibus linguis cōgregatus, apud omnes gentes cōmoratur, & ab his dominantibus premis, necesse est uniuersas nationes, id est orbem totū caelestibus plagis uerberari, ut iustus & cultor dei populus liberetur. Et sicut tunc signa facta sunt, quibus futura clades Aegyptijs ostenderet: ita in ultimo fieri prodigia mirāda per omnia elementa mūdi, quibus imminens exitus uniuersis gentibus intelligatur. Propinquante igitur huius seculi termino, hu

Hebraeorū ex Aegypto educio.

C manarum rerū statum cōmutari necesse est, & in deterius nequitia inualefcēte prolabi: ut iam nostra hęc tēpora, quibus iniquitas & malitia usq; ad summū gradum creuit, in illius tamen insanabilis mali comparatione, felicia & propē aurea possint iudicari. Ita enim iustitia rarefcet: ita impietas, & auaritia, & cupiditas, & libido crebrefcet, ut si qui tum forte fuerint boni, prędę sint sceleratis, ac diuexentur undique ab iniustis: soli autem mali opulenti sint, boni uero in omnibus contumelijs atq; in egestate iacentur. Confundetur omne ius, & leges peribunt. Nihil tunc quispiam habebit, nisi aut quęsitum, aut defensum † male: audacia, & uis omnia possidebūt. Non fides in hominibus, non pax, nō humanitas, non pudor, non ueritas erit. Atq; ita neq; securitas, neq; regimē, neq; requies a malis ulla. Omnis enim terra tumultuabitur, fremēt undiq; bella, omnes gentes in armis erunt, & se inuicem oppugnabunt. Ciuitates finitimę inter se pręliabuntur: Et prima omnium Aegyptus stultarum superstitionū luet pœnas, & sanguine uelut flumine operietur. Tum peragrabit gladius orbem, metens omnia, & tanquam messem cuncta prosternens: Cuius uastitatis & confusionis hęc erit causa, quod Romanū nomen, quo nunc regitur orbis (horret animus dicere, sed dicam, quia futurum est) tolletur de terra, & imperiū in Asiam reuertetur, ac rursus oriens dominabitur, atq; occidens seruiet. Nec mirū cuiquā debet uideri, si regnū tanta mole fundatū, ac tandiu per tot & tales uiros auctū, tantis deniq; opibus confirmatū, aliquando tamen corruet. Nihil est humanis uiribus laboratū, quod nō ab humanis æque uiribus destrui possit: quoniam mortalia sunt opera mortalium. Sic & alia prius regna, quā diutius floruiſſent, nihilominus tamen occiderunt. Nam Aegyptios, & Persas, & Gręcos, & Assyrios, proditū est regimē habuisse terrarū: quibus omnibus destructis, ad Romanos quoq; rerū summa peruenit. Qui quanto cæteris omnibus regnis antestāt, tanto maiore decidēt lapsu: quia plus habēt ponderis ad ruina, quę sunt cæteris altiora. Non inscite Seneca Romanę urbis tempora distribuit per ætates: Primam enim dixit infantiam sub rege Romulo fuisse, a quo & genita, & quasi educata sit Roma: Deinde pueritiā sub cæteris regibus, a quibus & aucta sit, & disciplinis pluribus institutisq; formata. At uero Tarquinio regnante, quū iam quasi adulta esse cœpisset, seruitiū non tulisse: & reiecto superbæ dominationis iugo, maluisse legibus obtemperare, q̄ regibus. Quumq; esset adolescentia eius sine Punici belli terminata, tum deniq; confirmatis uiribus cœpisse iuuenescere. Sublata igitur Carthagine, quę diu æmula imperij Romani fuit, manus suas in totum orbem terra mariq; porrexit, donec regibus cunctis & nationibus subiugatis, quū iam bellorum materia deficeret, uiribus suis male uterē, quibus seipsa cōfecit. Hęc fuit prima eius senectus, quū bellis lacerata ciuilibus, atq; intestino malo pressa, rursus ad regimē singularis imperij recidit, quasi ad alterā infantia reuoluta. Amissa enim libertate, quā Bruto duce & autore defenderat, ita consenuit, tanq̄ sustētare seipsam nō ualeret, nisi adminiculo regentium nitere. Quod si hęc ita sunt, quid restat, nisi ut sequat interitus senectutē: Et id futurū breui conciones prophetarū denunciant sub ambage aliorū nominū, ne facile quis intelligat. Sibyllę tamē aperte interitura esse Romam loquunt, & quidem iudicio dei: quod nomen eius habuerit inuisum, et inimica iustitię alumnum ueritatis populū trucidarit. Hydaspes quoq; q̄ fuit Medorū Rex antiquissimus, a quo amnis quoq; nomen accepit, qui nūc Hydaspes dicitur, admirabilis omnium, sub interpretatione uaticinātis pueri ad memoriā posteris tradidit, sublatum iri ex orbe imperium nomenq; Romanum, multo ante pręfatus, quā illa Troiana gens conderetur.

† manu

Romę tempora
per ætates
distributa.

Hydaspes rex
Medorum.

Quomo

Quomodo imperij uentura sit destructio: & quae illam signa praecessura sint secundum uaticinia prophetarum, & Sibyllae. Cap. XVI



Quomodo autem id futurum sit, ne quis incredibile arbitretur, ostendam. In primis multiplicabitur regnum, & summa rerum potestas per plurimos dissipata & cōcisa, minuetur. Tunc discordiae ciuiles in perpetuum serentur: nec ulla requies bellis exitiabilibus erit, donec & reges decem pariter existant, qui orbem terrae, non ad regendū, sed ad consummandum partiantur. Hi exercitiis in immensum auctis, & agrorum cultibus destitutis, quod est principium euerisionis & cladis, disperdent omnia, & cōminuent, & uorabunt. Tunc repente aduersus eos hostis potentissimus ab extremis finibus plagae septentrionalis orietur, qui tribus ex eo numero deletis, qui tunc Asiam obtinebunt, assumetur in societate à cæteris, ac princeps omnium constituetur. Hic insustentabili dominatione uexabit orbem: diuina et humana miscebit: infanda dictu, & execrabilia molietur: noua cōsilia in pectore suo uolutabit, ut propriū sibi constituat imperium: & leges cōmutabit, & suas sanciet: cōtaminabit, diripiet, spoliabit, occidet. Denique immutato nomine, atque imperij sede translata, confusio ac perturbatio humani generis consequetur. Tam uero detestabile atque abominandum tempus existet, quod nulli hominum sit uita iucunda. Euertentur funditus ciuitates, atque interibunt non modo ferro atque igni, uerumetiam terramotibus assiduis, & eluuiæ aquarum, & morbis frequentibus, & fame crebra. Aer enim uitiabitur, & corruptus ac pestilens fiet: & modo importunis imbribus, modo inutili siccitate, nunc frigidibus, nunc aestibus nimijs; nec terra homini dabit fructum, nec seges quicquam, non arbor, non uitis feret. Sed quum in flore spem maximam dederint, in fruge decipient. Fontes quoque cum fluminibus arescent, ut ne potus quidem suppetat: & aquae in sanguinem, aut amaritudinem mutabuntur. Propter hæc deficient & in terra quadrupes, & in aere uolucres, & in mari pisces. Prodigia quoque in caelo mirabilia mentes hominum maximo terrore confundent: & crines cometarum, & solis tenebrae, & color lunae, & cadentium siderum lapsus. Nec tamen hæc usitato modo fient: sed existent subito, & ignota, & inuisa oculis astra: sol in perpetuum fuscabitur, ut uix inter noctem diemque discernatur. Luna iam non tribus deficient horis, sed perpetuo sanguine offusa meatus extraordinarios peraget: ut non sit homini promptum aut siderum cursus, aut rationem temporum agnoscere. Fiet enim uel aestas in hyeme, uel hyems in aestate. Tunc annus breuiabitur, & mensis minuetur, & dies in angustum coartabitur: Stellae uero creberrimae cadent, ut caelum omne caecum sine ullis luminibus appareat. Montes quoque altissimi decident, & planis aequabuntur: mare in nauigabile constituetur. Ac ne quid malis hominum terraeque desit, audietur de caelo tuba: quod hoc modo Sibylla denunciat dicens:

Σάλπιγξ οὐρανὸθεν φωνῶν πολὺ τρωον ἀφήσει. ἢ εἰς τὸν οὐρανὸν ἐξελθὺς αὐτὸν αὐτὸν ἀφήσει.

Itaque trepidabunt omnes, & ad lucuosum illum sonitum contremiscent. Tunc uero per iram dei aduersus homines, qui iustitiam dei non agnouerunt, sauiet ferrum, ignis, fames, morbus, & super omnia metus semper impendens: tunc orabunt deum, et non exaudiet: optabitur mors, & non ueniet: nec nox quidem requiem timori dabit, nec ad oculos somnus accedet: sed animas hominum sollicitudo ac uigilia mace-rabit: plorabunt, & gement, & dentibus stridebunt: gratulabuntur mortuis, & uiuos plangent. His & alijs pluribus malis solitudo fiet in terra, & erit deformatus orbis atque desertus: quod in carminibus Sibyllinis ita dicitur:

Ἐσα ἡσμος ἀησμος ἀπολλυμένων ἀνθρώπων.

Ita enim conficietur humanum genus, ut uix decima pars hominum relinquatur: &

Prodigia quae
precedent ex-
tremum dei ius-
dicium.

c unde mille processerant, uix prodient centum. De cultoribus etiam dei duæ partes interibunt: & tertia, quæ fuerit probata, remanebit.

De aduentu magni prophete, qui Helias dicitur: & quomodo interficietur ab Antichristo, & resurget die tertia, & ascendet in cœlum. Et de persecutione ecclesie, quam inferet Antichristus: & de miraculis eius. Cap. XVII



Antichristi ortus & regnum

Ed planius quomodo id eueniat, exponam. Imminente iam temporū conclusione, propheta magnus mittetur à deo, qui cōuertat homines ad dei agnitionem, & accipiat potestatem mirabilia faciendi. Vbi cunq; non audierint eum homines, claudet cœlum, & abstinebit imbres, & aquam conuertet in sanguinem, & cruciabit illos siti ac fame: Et quicunq; conabitur eum lædere, procedet ignis de ore eius, atq; comburet illum. His prodigijs atq; uirtutibus cōuertet multos ad dei cultum: peractisq; operibus eius alter rex orietur ex Syria, malo spiritu genitus, euerfor ac proditor generis humani: qui reliquias illius prioris mali cum ipso simul delet. Hic pugnabit aduersus prophetam dei, & uincet, & interficiet eum, & insepultum iacere patietur: sed post diem tertium reuiuifcet, atq; inspectantibus mirantibusq; cunctis rapietur in cœlum. Rex uero ille teterrimus erit quidem & ipse, sed mendaciorum propheta, & seipsum constituet ac uocabit deum, & se coli iubebit ut dei filium. Et dabitur ei potestas ut faciat signa & prodigia: quibus uisis, irretiat homines, ut adorent eum. Iubebit ignem descendere de cœlo, & solem à suis cursibus stare, & imaginē loquitur: & fient hæc sub uerbo eius: quibus miraculis etiam sapientium plurimi alliciuntur ab eo. Tunc eruere dei templum conabitur, & iustum populū persequetur: & erit pressura & contritio, qualis nunquam fuit à principio mundi. Quicunq; crediderint atq; accesserint ei, signabuntur ab eo tanquam pecudes. Qui autem recusauerint notam eius, aut in montes fugient, aut comprehensi exquisitis cruciatibus necabuntur. Idem iustos homines obuoluet libris prophetarum, atq; ita cremabit: & dabitur ei desolare orbem terræ mensibus quadraginta duobus. Id erit tempus, quo iustitia proijcietur, & innocētia odio erit, quo mali bonos hostiliter prædabuntur: non lex, aut ordo, aut militiæ disciplina seruabitur: non canos quisquam reuerbitur: non officium pietatis agnosceret: non sexus aut infantie misererebitur. Confundentur omnia, & miscebuntur contra fas, contra iura naturæ. Ita quasi uno communi grauiq; latrocinio, terra uniuersa uastabitur. Quæ hæc ita erunt, tunc iusti & sectatores ueritatis segregabunt se à malis, & fugient in solitudines: Quo audito, impius rex inflammatus ira, ueniet cum exercitu magno, & ad motis omnibus copijs circundabit montem, in quo iusti morabuntur, ut eos comprehendat. Illi uero ubi se clausos undiq; atq; obsessos uiderint: exclamabunt ad deum uoce magna, & auxilium cœleste implorabunt: & exaudiet eos deus, & emittet regem magnum de cœlo, qui eos eripiat & liberet, omnesq; impios ferro igniq; disperdat.

Quomodo hæc prænunciata sint & uaticinijs prophetarum, & oraculis gentium uatū, & uersibus Sibyllinis. Cap. XVIII



Hæc ita futura esse, tum prophete omnes ex dei spiritu, tum etiam uates ex instinctu dæmonum cecinerunt. Hydaspes enim, quem superioris nominauit, descripta iniquitate seculi huius extremi, pios ac fideles à nocentibus segregatos ait, cum fletu & gemitu extensuros esse ad cœlum manus, & imploratos fidem Iouis: Iouem respecturum ad terram, & auditurum uoces hominum, atq; impios extincturum. Quæ omnia uera sunt, præter unum, quod Iouem dixit illa facturum, quæ deus faciet. Sed & illud non sine

A sine dæmonum fraude subtractum est, missum iri tunc à patre filium dei, qui delectis omnibus malis pios liberet: quod Hermes tamen non dissimulauit. In eo enim libro, qui λόγος τέλει ὁἰνσβριβιτ, post enumerationem malorum, de quibus diximus, subiecit hæc: ἐπὶ αὐτῷ δὲ ταῦτα ὡς δὲ γήρητοι ὡς ἀσκληπτι, τότε ὁ κύριος, καὶ πατὴρ, καὶ θεὸς, ἐν τῷ πρώτῳ, καὶ γνὸς θεὸς διημιργγὸς ἐπιβλέψας τοῖς γημορῶνις, καὶ τῆ ἐαυτῷ βολῆσει τοῖς τοῖς τοῖς, τὸ ἀγαθὸν ἀντρεῖσας τῆ ἀταξία, καὶ ἀνακαλισάμενος τὴν πλάνην, καὶ τὴν κακίαν ἐκκαθήρας πῆ μὲν ὕδατι πολλῷ κατακλύσας, πῆ δὲ πυρὶ ὄξυτάτῳ ὄξυτάτῳ ὄξυτάτῳ ἐνίοτε δὲ πολέμοις, ἐν λοιμοῖς ἐκπίσας ἡγαγὼν ἐπὶ τὸ ἀρχαῖον, καὶ ἀποκατίσθησε τὸν ἐαυτῷ κόσμον. Sibylla quoque non aliter fore ostendit, quam ut dei filius à summo patre mittatur: qui & iustos liberet de manu impiorum, & iniustos cum tyrannis sæuientibus deleat: e quibus una sic tradidit:

Ἥξει ἐν μακάρων ἐθέλων πόλιν δζαλαπάξαι,
καὶ κῆν τις θεὸς βασιλεὺς πεμφθεὶς ἐπ' ἰδίῳ
πάντας ὄλοι βασιλεῖς μεγάλους καὶ φῶτας ἀρίστους,
εἰδ' οὕτως κρινεῖται ὑπὸ ἀφθίτοις ἀνθρώποισι.

Item alia Sibylla:

καὶ τότε ἂν ἡελίος πέμψει θεὸς βασιλῆα
ὃς πᾶσαν γαῖαν πᾶσαι πολέμοιο κακοῖο.

Et rursus alia:

-ἡμετέρας δολείας
ζυγὸν δυσβάστακτον ἐπ' αὐχένι κέμενον ἀρεῖ
ἐν θεομῶς ἀθέως λύσει δεσμῶς τε βιαίως.

Quomodo Christus, et quibus signis precedentibus descendet de caelo, ut interficiat Antichristum, et tyrannos, et impios deleat de terra: Et quod uigilia nocturnæ Christianorum ideo instituta sunt, quod Christus de nocte uenturus est: Et quod dii, et cultores eorum dabuntur incendio, ut Sibylla prædixit. Cap. XIX



Presso igitur orbe terræ, quum ad destruendam immensarum uirium tyrannidem humanæ opes defecerint: siquidem capto mūdo cum magnis latronū exercitibus incubabit, diuino auxilio tanta illa calamitas indigebit. Cōmotus igitur deus, & ancipiti periculo, & miserāda comploratione iustorum, mittet protinus liberatorem. Tunc aperietur cælum mediū in tempesta nocte & tenebrosa, ut in orbe toto lumen descendentis dei tanquā fulgur appareat: quod Sibylla his uersibus locuta est:

-ὅπποτ' αὐτὸς ἔλθῃ
πῦρ ἔσται σκότος ἐν τῇ μέσῃ νυκτὶ μελαίνῃ.

Hæc est nox, quæ à nobis propter aduentū regis ac dei nostri, per uigilio celebra- Vigilie Chris-
tianorum cur
instituta.
tur: cuius noctis duplex est ratio, quod in ea & uitā tum recepit, quum passus est: & postea orbis terræ regnum recepturus est. Hic est enim liberator, & iudex, & ultor, & rex, & deus, quem nos Christum uocamus: qui priusquam descendat, hoc signum dabit: Cadet repente gladius e caelo, ut sciant iusti ducem sanctæ militiæ descensurum: & descendet comitātibz angelis in medium terræ, & præcedet eum flamma inextinguibilis: & uirtus angelorum tradet in manus iustorum multitudinem illam, quæ montem circumfederit: & concidetur ab hora tertia usque ad uesperum, & fluet sanguis more torrentis: deletisq; omnibus copijs, impius solus effugiet, & peribit ab eo uirtus sua. Hic est autē, qui appellatur Antichristus: sed se ipse Christum mentietur, & contra uerum dimicabit: & uictus effugiet, & bellum sæpe renouabit, & sæpe uincetur, donec quarto prælio confectis omnibus impijs, debellatus & captus, tandem scelerū suorum luet pœnas. Sed & cæteri prin-

cipes & tyranni, qui contriuerunt orbem, simul cum eo uincti adducentur ad regem: & increpabit eos, & coarguet, & exprobat his facinora ipsorum, & damnabit eos, ac meritis cruciatibus tradet. Sic extincta malitia, & impietate compressa, requiescet orbis, qui per tot secula subiectus errori ac sceleri, nefandam pertulit seruitutem. Non colentur ulterius dii manufacti, sed à templis & puluinaribus suis deturbata simulacra igni dabuntur, & cum donis suis mirabilibus ardebunt: quod etiam Sibylla cum prophetis congruens, futurum esse prædixit:

Τρίψαι δ' εἰδωλα βροφί καὶ πλῆτορ ἅπαντα.

Erythræa quoque idem spondit:

ὄργα δὲ χροποίντα θεῶν στωικαῶν.

Quomodo aperientur inferi, & resurgent mortui: Et qui iudicandi sunt, & qui non: Et quomodo hæc Sibylla prædixerit: Et qua ratione anima, quum immortalis sit, patibilis esse possit secundum Stoicos. Cap. XX

Post hæc aperientur inferi, & resurgent mortui, de quibus iudicium magnum ipse idem rex ac deus faciet, cui summus pater iudicandi & regnandi dabit maximam potestatem. De quo iudicio ac regno apud Erythræam Sibyllam sic inuenitur:

ὅπποτε καὶ τὸ λάβη τέλος αἰσιμον ἡδὲ βροφίσι
καὶ δὴ ἀξίον κείσις ἀθανάτω θεῶν,
ἡξίον ἐπ' ἀνθρώπος μεγάλη κείσις ἡδὲ καὶ ἀρχή.

Deinde apud aliam:

ταρτάρου δὲ χάθ' τότε δ' ἔξθ' γαῖα χανθεῖ,
ἡξίον δ' ὑπὸ Βῆμα θεῶ βασιλεύον ἅπαντων.

D Et alio loco penes eandem:

οὐρανὸν εἰλίξας γαίης καὶ θμῶνας ἀνοίξω,
καὶ τότε ἀνάξω νεκρὸς μοῖραν ἀναλύσας,
καὶ θανάτω κνήτρον, καὶ ὕστρον εἰς κείσις ἄξω,
κείνων δυσβέων καὶ δυναστεῶν βίον ἀσφάδν.

Animas esse
patibiles.

Nec tamen uniuersi tunc à deo iudicabuntur, sed ij tantum, qui sunt in dei religione uersati. Nam qui deum non agnouerunt, quoniã sententia de his in absolutiorem ferri non potest, iam iudicati damnatiq; sunt, sanctis literis contestantibus, non resurrecturos esse impios ad iudicium. Iudicabuntur ergo qui deum scierunt, & facinora eorum in mala opera cum bonis collata ponderabuntur: ut si plura & grauius fuerint bona iustaq;, dentur ad uitam beatam. Si autem mala superauerint, condemnentur ad poenam. Hic fortasse dixerit quispiam: Si est immortalis anima, quomodo passibilis inducitur, ac poenam sentiens? Si enim ob merita punietur, sentiet utiq; dolorem, atq; ita etiam mortem. Si mortis non est obnoxia, nec dolori quidem patibilis ergo non est. Huic quaestioni siue argumento, ita à Stoicis occurritur: Animas quidem hominum permanere, nec interuentu mortis in nihilum resolui: sed eorum qui iusti fuerunt, puras, & impatibiles, & beatas ad sedem caelestem, unde illis origo est, remeare, uel in campos quosdam fortunatos rapi, ubi fruuntur miris uoluptatibus: Impios uero, quoniã se malis cupiditatibus inquinauerunt, mediam quandam gerere inter immortalem mortalemq; naturam: & habere aliquid imbecillitatis ex contagione carnis: cuius desiderijs ac libidinibus addicta, ineluilibilem quendam furcum trahant, labemq; terrenam: quæ quum temporis diuturnitate penitus inhaerit, eius naturæ reddi animas, ut si non extinguibiles in totum, quoniam ex deo sunt, tamen cruciabiles fiant per corporis maculam, quæ peccatis iniusta, sensum doloris attribuit. Quam sententiam poeta sic explicauit:

Quin

A Quin & supremo cum lumine uita reliquit,
 Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
 Corporeæ excedunt pestes, penitusq; necesse est
 Multa diu concreta modis inolescere miris.
 Ergo exercentur poenis, ueterumq; malorum
 Supplicia expendunt.

Hæc propemodum uera sunt. Anima enim quum diuortiu fecit à corpore, est (ut idem ait poeta)

Par leuibus uentis, uolucricq; simillima somno:

Quia spiritus est, & ipsa tenuitate incomprehensibilis, sed nobis qui sumus corporales: deo autem, cui subiacet posse omnia, comprehensibilis.

De potentia dei, quæ pro merito cuiusq; potest & homines, & angelos punire: De carnis immortalitate post resurrectionem: De differentia ignis gehennalis, & ignis cõmunis: Et quid in electis, quid in reprobis operetur. Cap. XXI

Primum igitur dicimus, tantam esse dei potestatem, ut etiam incorporea comprehendat, & quemadmodum uoluerit, afficiat. Nam & angeli deum metuunt, quia castigari ab eo possunt inenarrabili quodam modo. Et dæmones reformidant, quia torquentur ab eo, & puniuntur.

Quid ergo mirum, si quum sint immortales animæ, tamẽ patibiles sint deo? Nam quum in se nihil habeant solidũ & tractabile, à solidis & corporalibus nullam uim pati possunt: sed quia in solis spiritibus uiuunt, à solo deo tractabiles sunt, cui uirtus & substantia spiritalis est. Sed tamen docent nos sanctæ literæ, quemadmodum poenas impij sint laturi. Nam quia peccata in corporibus contraxerunt, rursus carne induentur, ut in corporibus piaculũ soluant: & tamen non erit caro illa, quam deus homini superiecerit, huic terrenæ similis, sed insolubilis ac permanẽs in æternum, ut sufficere possit cruciatibus & igni sempiterno: cuius natura diuersa est ab hoc nostro, quo ad uitæ necessaria utimur: qui nisi alicuius materiæ fomite alatur, extinguitur. At ille diuinius per seipsum semper uiuit, ac uiget sine ullis alimentis, nec admistum habet fumũ: sed est purus ac liquidus, & in aquæ modum fluidus. Non enim uis aliqua sursum uersus urgetur, sicut noster: quem labes terreni corporis, quo tenetur, & fumus intermistus exsire cogit, & ad cœlestem naturam cum trepidatione mobili subuolare. Idem igitur diuinus ignis una eademq; uis atque potentia & cremabit impios, & recreabit: & quantum è corporibus absumet, tantum reponet, ac sibi ipse æternum pabulum subministrabit: quod poeta in uulturem & Tityum transfulerunt. Ita sine ullo reuiuiscentiũ corporum detrimento, aduret tantum, ac sensum doloris efficiet. Sed & iustos quum iudicauerit deus, etiam igni eos examinabit. Tum quorum peccata uel pondere, uel numero prauauerint, perstringentur igni atque amburentur. Quos autem plena iustitia, & maturitas uirtutis incoxerit, ignem illum nõ sentient: Habent enim aliquid in se dei, quod uim flammæ repellat ac reiiciat. Tanta uis est innocentia, ut ab ea ignis ille refugiat innoxius: qui accipit à deo hanc potestatem, ut impios urat, iustis obtemperet. Nec tamen quisquam putet, animas post mortem protinus iudicari: Nam omnes in una communiq; custodia detinentur, donec tempus adueniat, quo maximus iudex meritorum faciat examen. Tum quorum fuerit probata iustitia, ij præmium immortalitatis accipient. Quorum autem peccata & scelera detecta fuerint, non resurgent, sed cum impijs in easdem tenebras recõdentur ad certa supplicia destinati.

Ignis inferorũ.

Uide ouid. 4. Metamorph.

No. De purgatorio

Quod hæc à quibusdam dicuntur esse poetica: Et unde ad notitiam uenerint poetarum:

Et quibus de causis corruerint ueritatem, & Lethæum amnem, & alia
phantastica induxerint. Cap. XXII



Igmenta hæc esse poetarū quidā putant, ignorantes unde illa poetæ acceperint, ac negant hæc fieri posse. Nec mirum ita illis uideri: Aliter enim, quā res habet, tradit à poetis: qui licet sint multo antiquiores quā historici, & oratores, & cætera genera scriptorum, tamen quia mysteriū diuini sacramenti nesciebant, & ad eos mentio resurrectionis futuræ obscurior peruenerat, eam uero temere ac leuiter auditam in modum commentitiæ fabulæ prodiderunt. Et tamen ijdem testati sunt, non autorem se certum, sed opinionem sequi, ut Maro, qui ait: Sit mihi fas audita loqui. Quamuis igitur ueritatis arcana in parte corruerint, tamē ipsa res eo uerior inuenitur, quod cum prophetis in parte cōsentiunt: quod nobis ad probationem rei satis est. Errori tamen eorum subest ratio nonnulla: Nam quum prophetæ assiduīs concionibus prædicarent, iudicaturum esse de mortuis filium dei, & hæc annunciatio nō lateret: quoniam rectorem cœli nō alium putabant quā Iouem, iudicare apud inferos Iouis filium tradiderunt. Sed tamen non Apollinem, aut Liberum, aut Mercurium, qui cœlestes putantur, sed deū, qui & mortalis fuerit & iustus, uel Minoem, uel Aëacum, uel Rhadamanthum. Corruerunt igitur poetica licentiā, quod acceperant: uel opinio ueritatem per diuersa ora, sermonesq; uarios dissipata mutauit. Nam quod peractis apud inferos mille annis, rursus ad uitam restitui cecinerunt, Marone ita dicente:

Has omnes, ubi mille rotam uoluere per annos,

D Lethæum ad fluuium deus euocat agmine magno:

Scilicet immemores supera ut conuexa reuisant:

Rursus & incipiant in corpora uelle reuerti.

Hæc eos ratio fefellit, quod resurgent defuncti non post mille annos mortis suæ: sed ut restituti rursus in uitam, mille annis cum deo regnēt. Deus enim ueniet, ut orbe hoc ab omni labe purgato, rediuiuas iustorū animas corporibus innouatis ad sempiternā beatitudinem suscitet. Itaq; præter aquam obliuionis uera sunt cætera: quam idcirco finxerunt, ne quis illis opponeret: Cur ergo non meminerunt se aliquādo uixisse, aut qui fuerint, aut quæ gesserint? Sed nihilominus tamen uerisimile nō putat, ut res tota uelut licenter & fabulose ficta respuat. Nobis autē de resurrectione affirmatibus atq; docētibus, animas ad alterā uitā nō oblitā sui, sed in eodē sensu ac figura esse redituras, illud opponitur: Tot iam secula transierunt, quis unquā unus ab inferis resurrexit, ut exemplo eius fieri posse credamus? At enim resurrectio fieri non potest dominante adhuc iniustitia. Hoc enim in seculo necantur homines uis, ferro, insidijs, uenenis: afficiuntur iniurijs, egestate, carceribus, tormētis, proscriptionibus. Eo accidit quod iustitia inuisa est, qd omnes, qui deum sequi uolunt, non tantum odio habentur, sed uexantur omnibus contumelijs, & excruciantur multiplici genere poenarum: & ad impios cultus manufactorū deorum, nō ratione aut ueritate, sed nefanda corporū laceratione coguntur. Num igitur opotert ad hæc eadē resurgere ac reuerti homines ad uitam, in qua tuti esse non possint? Quum ergo iusti tam uiles habeantur, tam facile tollantur, quid putemus futurum fuisse, si quis ab inferis rediens uitam postliminio recepisset? Auferretur profectò ab oculis hominū, ne uiso eo uel audito, deos uniuersi relinquerent, & ad unius se dei cultum religionemq; conuerterent. Ergo semel fieri resur-

rectionem

A rectionem necesse est, quum malum fuerit ablatum: quoniam eos, qui resurrexerint, nec mori iam ulterius nec uiolari ullo modo fas est: ut beatam possint agere uitam, quorum mors resignata est. Poetae uero quum scirent hoc seculum malis omnibus redundare, obliuionis amnem induxerunt: ne laborum ac malorum memores animae reuerti ad superos recusarent. Vnde Virgilius:

O pater, an' ne aliquas ad caelum hinc ire putandum est

Sublimes animas, iterumque ad tarda reuerti

Corpora? quae lucis miseris tam dira cupido?

Ignorabant enim quomodo, aut quando id fieri oporteret. Itaque renasci eas putauerunt, & denuo ad uterum reuolui, atque ad infantiam regredi. Vnde & Plato de anima differens, ex hoc ait posse cognosci animas esse immortales atque diuinas, quod in pueris mobilia sunt ingenia, & ad percipiendum facilia: quod ea, quae discant, ita celeriter capiant, uti non tunc primum discere illa uideantur, sed recognoscere atque reminisci: in quo uir sapiens poetis ineptissime credidit.

De resurrectione: Et quod Pythagoras & alij philosophi inepte locuti sunt: Et de anastasi mentientes animas in uaria transire corpora. Cap. XXIII



On igitur renascentur, quod fieri non potest: sed resurgent, & a deo corporibus induent: & prioris uitae factorumque omnium memores erunt: & in bonis caelestibus collocatae, ac fruente iucunditate innumerabilium copiarum, praesenti deo gratias agent, quod malum omne deleuerit, quod eos ad regnum uitamque perpetuam suscitauerit. Qua de anastasi philosophi quoque dicere aliquid conati sunt tam corrupte, quam poetae. Nam Pythagoras transire animas in noua corpora disputauit, sed inepte: quod ex hominibus in pecudes, & ex pecudibus in homines, & seipsum ex Euphorbo esse reparatum. Melius Chrysippus, quem Cicero ait fulcire porticum Stoicorum: qui in libris quos de prouidentia scripsit, quum de innouatione mundi loqueretur, haec intulit: *τότο δὲ ὅτως ἔχοντος διήλον, ὡς ὁδὲν ἀδιώτατον, καὶ ἡμᾶς μετὰ τὸ τελευτῆσαι πάλιν περιόδωρ ἡνῶν εἰλημένων χρόνος ἐν ᾧ νῦν ἐσμὲν ἀποικιστέοντα ἡμᾶς.* Sed nos ab humanis ad diuina redeamus. Sibylla iterum dicit:

Δύσπιστον γὰρ ἄπαρ μερόπων γένος, ἀλλ' ὅταν ἦδῃ
κόσμος ἐν θνητῶν ἔλθῃ κρίσις, ἢ θεὸς αὐτὸς
ποιήσει κρίνων ἀσεβῆσθ' ἅμα δυσθέας τε,
καὶ τότε δυσθέας μὲν ἐπὶ ζόφον ἐν πυρὶ πέμψῃ.
ὄσοι δ' ἀσεβῆσοι πάλιν ζήσοσ' ὑπὸ γαίης,
πνέοντα θεῶ δόντες ἑμὴν ἅμα ἐν βίῳ αὐτοῖς.

Quod si non modò prophetæ, sed etiam uates, & poetae, & philosophi anastasi mortuorum futuram esse consentiunt, nemo quaerat à nobis quemadmodum fieri possit. Nec enim diuinorum operum potest reddi ratio. Sed si à principio deus hominem, nescio quo inenarrabili modo instituit, credamus ab eodem restitui ueterem posse, qui nouum fecit.

Quod secundum uaticinia Sibyllæ post iudicium per mille annos regnabit in terra filius dei cum electis suis in sancta ciuitate, quam constituet: Et quod diabolus uincietur mille annis, & omnis creatura mansuescet, & ad iucunditatem seruiet homini: Et quod Christus ab omnibus coletur, ut deus & dominus. Cap. XXIII



Nunc reliqua subnectam. Veniet igitur summi & maximi dei filius, ut uiuos ac mortuos iudicet, dicente Sibylla:

Γάσις γὰρ γαίης τότε θνητῶν σύγχυσις ἔσται

C αὐτὸς ὁ παντὴ κρείττωρ ὅτ' αὐ' ἔλθῃ βύματι κρῖναι
ζώντων καὶ νεκρῶν ψυχὰς ἐν κόσμῳ ἅπαντα.

Verum ille, quum deleuerit iniustitiam, iudiciumq; maximū fecerit, ac iustos, qui à principio fuerunt, ad uitam restaurauerit, mille annis inter homines uerfabitur, eosq; iustissimo imperio reget. Quod alibi Sibylla uaticinās, furensq; proclamat:

Κλῦτε δ' ἐμῶν μέρορες, βασιλεὺς αἰῶνι ἄρχεαι.

Tunc qui erunt in corporibus uiui, nō morientur, sed per eosdem mille annos infinitam multitudinem generabunt: & erit soboles eorum sancta, & deo chara. Qui autem ab inferis suscitabuntur, ij præerunt uiuentibus, uelut iudices. Gentes uero non extinguentur omnino, sed quædam relinquētur in uictoriam dei, ut triumphentur à iustis, ac subiugētur perpetuæ seruituti. Sub id tempus etiam princeps dæmonum, qui est machinator omnium malorum, uincietur catenis: & erit in custodia mille annis cœlestis imperij, quo iustitia in orbe regnabit, ne quid malū aduersus populum dei moliat. Post cuius aduentū congregabuntur iusti ex omni terra, peractioq; iudicio ciuitas sancta constituetur in medio terræ, in qua ipse conditor deus cum iustis dominantibus commoretur: quam ciuitatem Sibylla designat, quum dicit:

καὶ πόλις, ἢρ ἐποίησε θεὸς, αὐτῶν ἐποίησε

λαμπρότατον ἄστρον, ἐν ἡλίῳ, ἢ δὲ σελήνῃς.

Tunc auferentur à mundo tenebræ illæ, quibus offundebatur atque obcæcabatur cœlum: & luna claritudinem Solis accipiet, nec minuetur ulterius. Sol autem sepius tanto quàm nunc est, clarior fiet. Terra uero aperiet fœcunditatem suam, & uberrimas fruges sua sponte generabit, rupes montium melle sudabūt, per riuos uina decurrent, & flumina lacte inundabunt. Mundus denique ipse gaudebit, & omnis rerū natura lætabitur, erepta & liberata dominio mali, & impietatis, & sceleris, & erroris. Non bestię per hoc tempus sanguine alentur, nō aues præda: sed quieta & placida erunt omnia: leones & uituli ad præsepe simul stabunt: lupus ouem non rapiet: canis non uenabitur: accipitres & aquilæ non nocebunt: infans cum serpentibus ludet. Denique tunc fient illa, quæ poëtæ aureis temporibus facta esse iam Saturno regnante dixerunt. Quorum error hinc exortus est, quod propheta futurorum pleraque sic proferunt & enunciant, quasi iam peracta. Visiones enim diuino spiritu offerebantur oculis eorum, & uidebantur illa in conspectu suo quasi fieri ac terminari. Quæ uaticinia eorum quum paulatim fama uulgasset: quoniam profani à sacramento ignorabant quatenus dicerentur, completa esse ueteribus seculis illa omnia putauerunt: quæ utiq; fieri, compleriq; non poterant homine regnante. Quū uero deletis religionibus impijs, & scelere compresso, subiecta erit deo terra:

Cedet & ipse mari uector, nec nautica pinus

Mutabit merces, omnis feret omnia tellus.

Non rastros patietur humus, non uinea falcem.

Robustus quoq; iam tauris iuga soluet arator.

Tunc etiam molli flauescet campus arista,

Incultisq; rubens pendebit senibus uua,

Et duræ quercus sudabunt roscida mella.

Nec uarios discet mentiri lana colores.

Ipse sed in pratis aries iam suaue rubenti

Murice, iam croceo mutabit uellera luto.

Vates interdū
futura enunciant,
quasi iam
peracta.

Sponte

A Sponte sua sandyx pascentes uestiet agnos.
Ipsae lacte domum referent distenta capellae
Vbera, nec magnos metuent armenta leones.

Quae poeta secundum Cumeae Sibyllae carmina praelocutus est. Erythraea uero sic ait:

Οἱ δὲ λύκοι σὺν ἄρνεσ' ἐν ἔρεισι ἀμιλλῶνται,
χόρτον γὰρ λίγχεσ' ἐρίφοισι ἅμα βόσκονται,
ἄρκρι σὺν μόχοισι ὁμῶς καὶ πᾶσι βροτοῖσι,
σαρκοβόρος τε λέων φάγετ' ἄχρνον παρὰ φάτνας,
σὺν ἐρείφοισι τε δρόκοντες ἀμάτροσι κοιμήσονται.

Et alio loco de ubertate rerum:

Καὶ τότε δ' ἠ χαρὰν μεγάλην θεὸς ἀνδράσι δώσει,
ὃ γὰρ γῆ καὶ δ' ἰδὸα καὶ ἀπειτα θρέμματα γαίης
δώσασιν κέρπον τὸν ἀληθινὸν ἀνθρώποισι
οἶνον καὶ μέλιτος γλυκίως, λυκῶ τε γάλακτος
καὶ σίτου, ὅπερ δίδω βροτοῖς κάλλιστον ἀπάντων.

Et alia eodem modo:

Εὐσεβέων δὲ μόνων ἀγία χθὼν πάντα τὰ δ' οἶσαι,
νῆμα μέλιτος ἀπὸ πέτρης καὶ ἀπὸ πηγῆς,
καὶ γάλατ' ἀμβροσίης βόσει πάντες ἰσὺς δίκαιοις.

Vivent itaque homines tranquillissimam uitam, & copiosissimam, & regnabunt cum deo pariter: & reges gentium uenient a finibus terrae cum donis ac muneribus, ut adorent & honorificent regem magnū: cuius nomen erit praclarū, ac uenerabile uniuersis nationibus, quae sub caelo erunt, & regibus qui dominabuntur in terra.

B Quod non restant ex quarundam scripturarum assertione, nisi ducenti anni usque ad rerum inuolutionem: Et quod finis non aderit, nisi Roma destructa. Cap. XXV



Aec sunt, quae a prophetis futura dicuntur: quorum testimonia & uerba ponere opus non esse duxi: quoniam esset infinitum, nec tantam rerum multitudinem mensura libri caperet, tam multis uno spiritu similia dicentibus: simulque ne fastidium legentibus fieret, si ex omnibus collecta & translata cogererem: Praeterea ut ea ipsa, quae dicerent, non nostris, sed alienis literis potissimum confirmarem: doceremque non modo apud nos, uerum etiam apud eos ipsos, qui nos insectantur, ueritatem consignatam teneri, quam recusant agnoscere. Qui autem haec diligentius uoluerit scire, ex ipso fonte hauriat: & plura quam nos in his libris complexi sumus, admirabilia reperiet. Fortasse nunc quispiam requirat, quando ista, quae diximus, sint futura: iam superius ostendi. Cōpletis annorum sex millibus mutationem istam fieri oportere, & iam propinquare illum summum cōclusionis extremae diem, de signis quae dicta sunt a prophetis, licet noscere. Praedixerunt enim signa, quibus cōsummatio temporum expectanda sit nobis in singulos dies, & timenda. Quando tamen cōpleatur haec summa, docent illi, qui de temporibus scripserunt, colligentes ea ex literis sanctis, & ex uarijs historijs, quantus sit numerus annorum ab exordio mundi: qui licet uariant, & aliquantulum numerorum summa dissentiat, omnis tamen expectatio non amplius quam ducentorum uidetur annorum. Etiam res ipsa declarat, lapsum ruinaeque rerum breui fore, nisi quod incolumi urbe Roma nihil istius uidetur esse metuendum. At uero quum caput illud orbis ceciderit, & πῦρ esse coeperit, quod Sibyllae fore aiunt, quis dubitet uenisse iam finem rebus humanis, orbique terrarum: Illa est enim ciuitas, quae adhuc sustentat omnia: precandus que nobis & adorandus est deus caeli, si tamen

C statuta eius & placita differri possunt, ne citius quàm putemus, tyrannus ille abominandus ueniat, qui tantum facinus moliat, ac lumen illud effodiat, cuius interitu mundus ipse lapsurus est. Nunc ad cætera exequenda redeamus, quæ deinceps secutura sunt.

Quod elapsis mille annis aurei seculi post iudicium, soluetur item diabolus, & concitabit gentes, ut sanctam expugnent ciuitatem, & obsidebunt eam: Et quomodo eas omnino deus destruet, & pœnis æternis tradet, electis hominibus translatis ad gloriam angelorum post resurrectionem secundam. Cap. XXVI

Iximus paulò ante in principio regni sancti fore, ut à deo princeps dæmoniorum uinciatur. Sed idem cum mille anni regni, hoc est septem milia cœperint terminari, soluetur denuo, & è custodia missus exhibit: atq; omnes gentes, quæ tunc erunt sub ditione iustorum, concitabit, ut inferant bellum sanctæ ciuitati. Et colligetur ex omni orbe terræ innumerabilis populus nationum, & obsidebit & circundabit ciuitatem: tunc ueniet nouissima ira dei super gentes, & debellabit eas usque ad unum. Ac primum concutiet terram quam ualidissime: & à motu eius scindent montes Syriæ, & subsident colles in abruptum, & muri omnium ciuitatum concident: & statuet deus solem triduo ne occidat, & inflammabit eum, & descendet æstus nimius, & adustio magna supra perduelles & impios populos, & imbres sulfuris, & grâdines lapidum, & guttæ ignis, & liquefcent spiritus eorum in calore, & corpora conterentur in grandine, & ipsi se inuicem gladio ferient: replebuntur montes cadaueribus, & campi operientur ossibus. Populus autem dei tribus illis diebus sub concauis terræ occultatus erit, donec ira dei aduersus gentes, & extremum iudicium terminetur. Tunc exhibunt iusti de latebris suis, & inueniunt omnia cadaueribus atq; ossibus tecta. Sed & genus omne impiorum radicitus interibit, nec erit in hoc mundo ulla natio amplius, præter solam gentem dei. Tum per annos septem perpetes intactæ erunt syluæ, nec excidetur de montibus lignum: sed arma gentium comburentur, & iam non erit bellum, sed pax & requies sempiterna. Quum uero completi fuerint mille anni, renouabitur mundus à deo, & cœlum complicabitur, & terra mutabitur: & transformabit deus homines in similitudinem angelorum, & erunt candidi sicut nix, & uersabuntur semper in conspectu omnipotentis, & domino suo sacrificabunt, & seruiuent in æternum. Eodem tempore fiet secunda illa, & publica omnium resurrectio, etiam in qua excitabuntur impij ad cruciatus sempiternos. Ii sunt, qui manufacta coluerunt, qui dominum mundi ac parentem uel nescierunt, uel abnegauerunt. Sed & dominus illorum cum ministris suis comprehendetur, ad pœnamq; damnabitur, cum quo pariter omnis turba impiorum pro suis facinoribus in conspectu angelorum atq; iustorum perpetuo igni cremabitur in æternum. Hæc est doctrina sanctorum prophetarum, quam Christiani sequimur. Hæc sapientia nostra, quam isti, qui fragilia colunt, uel inanem philosophiam tuentur, tanquam stultitiam uanitatemq; derident. Quia nos defendere hanc publice, atq; asserere non solemus, deo iubente, ut quieti ac silentes arcanum eius in abscondito, atq; intra nostram conscientiam teneamus: nec aduersus istos uere profanos, qui non discendi, sed arguendi atq; illudendi gratia inclementer deum ac religionem eius impugnant, pertinaciter contentione certemus. Abscondi enim, tegiq; mysterium quam fidelissime oportet, maxime à nobis, qui nomen fidei gerimus. Verum illi hanc taciturnitatem nostram ueluti conscientiam malam criminantur. Vnde etiam quasdam execrabiles opiniones de pudicis & innocentibus fingunt, & libenter his quæ finxerunt, credunt.

Exhortatio

Resurrectio
secunda.

A Exhortatio, ut omnes properent ad suscipiendam cum religione sapientiam: per quas ad beatissimam peruenitur aeternae uitae beatitudinem. Cap. XXVII



Quoniam decursis propositi operis septem spacijs, ad metam prouecti sumus: superest ut exhortemur omnes ad suscipiendam cum uera religione sapientiam: cuius uis & officium in eo uertitur, ut contemptis terrestribus, & abiectis erroribus, quibus antea tenebamur fragilibus seruietes, & fragilia concupiscentes, ad aeterna caelestis thesauri praemia dirigamur: quae ut capere possimus, quamprimum omittenda sunt huius praesentis uitae illicibiles uoluptates, quae animas hominum perniciosissima suauitate delinunt. Quanta felicitas existimanda est, subtractis his labibus terrae, proficisci ad illum aequissimum iudicem parentemque indulgentissimum, qui pro laboribus requiem, pro morte uitam, pro tenebris claritatem, pro terrenis ac breuibus bonis aeterna & caelestia largiatur: cum qua mercede acerbitates ac miseriae, quas perpetimur in hoc mundo facientes opera iustitiae, conferri & coaequari nullo modo possunt. Proinde si sapientes, si beati esse uolumus, cogitanda ac proponenda nobis sunt, non tantum Terentiana illa, molendum esse usque in pistrinum, uapulandum, habenda comedes, sed his multo atrociora. Carcer, catenae, tormenta patienda, sustinendi dolores, mors denique ipsa & suscipienda est & ferenda, quum liqueat conscientiae nostrae nec fragilem istam uoluptatem sine poena, nec uirtutem sine diuino praemio fore. Vniuersos igitur oportet operam dare, ut se quamprimum ad rectam uiam dirigant: ut susceptis operatisque uirtutibus, huius uitae laboribus patienter exactis, consolatore deum habere mereantur. Pater enim noster ac dominus, qui condidit firmavitque caelum, qui solem cum caeteris syderibus induxit, qui libratam magnitudine sua terram uallauit montibus, mare circumdedit, amnibusque distinxit: & quicquid est, in hoc opere mundi, conflauit ac perfecit e nihilo: perspectis erroribus hominum, ducem misit, qui nobis iustitiae uiam panderet. Hunc sequamur omnes, hunc audiamus, huic deuotissime pareamus: quoniam solus (ut ait Lucretius)

Veridicis hominum purgauit pectora dictis:

Et finem statuit timoris, atque cupidinis:

Exposuitque bonum summum quo tendimus omnes,

Quid foret, atque uiam monstrauit tramite paruo,

Qua possemus ad id recto contendere cursu.

†torpedinis

Nec monstrauit tantum, sed etiam praecessit, ne quis difficultatis gratia iter uirtutis horreret. Deseratur (si fieri potest) uia perditionis & fraudis, in qua mors uoluptatis illecebris adoperta celatur. Et quanto quisque annis in senectute uergentibus appropinquare cernit illum diem, quo sit ei ex hac uita migrandum, cogitet quam purus abscedat, quam innocens ad iudicium ueniat: non ut faciunt quidam caecis mentibus nixi, qui iam deficientibus corporis uiribus, in hoc admonentur instantis ultimae necessitatis, ut cupidius & ardentius hauriendis libidinibus intendat. Qua ex uoragine liberet se quisque, dum licet, dum facultas adest: seque ad deum tota mente conuertat, ut illum diem securus expectet, quo praeses dominusque mundi deus de singulorum factis cogitationibusque iudicabit. Quaecumque hic expetuntur, non tantum negligat, sed effugiat: potioremque animam suam iudicet, quam bona ista fallacia, quorum incerta & caduca possessio est. Migrant enim quotidie, & multo uelocius exeunt, quam intrauerant. Et tamen si nobis usque ad ultimum liceat istis frui, alij certe relinquenda sunt. Nihil nobiscum ferre possumus, nisi uitam bene atque innocenter actam. Ille ad deum copiosus, ille opulentus adueniet, cui abstabunt coti-

Bona fortuna
fallacia.

C nentia, misericordia, patientia, charitas, fides. Hæc est hæreditas nostra, quæ nec eripi cuiquam potest, nec transferri ad alium. Et quis est, qui hæc bona parare ac acquirere sibi uelit? Veniant qui esuriunt, ut cœlesti cibo saturati, sempiternam famem ponant. Veniant qui sitiunt, ut aquam salutarem de perenni, cœlesticq; fonte plenissimis faucibus trahant. Hoc cibatu atque potu dei & cæci uidebunt, & surdi audient, & muti loquentur, & claudi ambulabunt, & mortui reuiuiscant, & stulti sapient, & ægroti ualebunt. Quisquis enim corruptelas terræ uirtute calcauerit, hunc arbiter ille summus & uerax ad lucem uitamq; perpetuam suscitabit. Nemo diuitijs, nemo fascibus, nemo etiam regia potestate confusus sit, immortalē ista non faciunt. Nam quicumque rationem hominis abiecerit, ac præsentia secutus in humum se ipse prostrauerit, tanquã desertor domini, & imperatoris, & patris sui punietur. Intendamus igitur iustitiæ, quæ nos inseparabilis comes ad deum sola perducet: & dum spiritus hos regit artus, infatigabili militia deo militemus, stationes uigiliisq; celebremus. Congrediamur cum hoste, quem nouimus, fortiter: ut uictores, ac deuicto aduersario triumphantes, præmium uirtutis, quod ipse promissit, à deo consequamur.

LIBRI SEPTIMI FINIS.